44376/B

55150

JO. G. ROEDERERI ET *CAR. G. WAGLERI*

TRACTATVS
DE
MORBO MVCOSO

DENVO RECVSVS ANNEXAQVE

PRAEFATIONE

DE

TRICHVRIDIBVS

NOVO VERMIVM GENERE

EDITVS

AB

HENRICO AVGVSTO WRISBERG,

PROFESSORE MEDICO ET ANATOMICO

GOETTINGENSI.

Cum tabulis aeneis.

GOETTINGAE, 1783.

APVD VICTORINVM BOSSIEGEL.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

VIRIS

ILLVSTRIBVS ET EXPERIENTISSIMIS

DOMINIS

PHILIPPO GABRIELI HENSLER

ET

GEORGIO LVDOVICO HANSEN

MEDICIS DOCTIS, FELICIBVS, PRVDENTIBVS ET AMABILIBVS, FAVTORIBVS ET AMICIS SVIS VETERI IAM VNIVERSITATIS, ANIMORVM STVDIORVMQVE FOEDERE IVNCTIS

S. P. D.

HENRIC. AVG. WRISBERG.

Non ſine inſigni voluptatis gaudiique affectu illorum temporum recordor, quibus, unum idemque ſtudiorum genus amplectentes, in dulciſſima Georgia Auguſta ex mellifluo praeceptoris noſtri b. Roedereri ore ſcientiae medicae praecepta auidis auribus excepimus, et ſubceſiuis horis amicabiliter inter nos trutinauimus.

Vos ipſi Viri Illuſtres teſtes mecum eſtis, quanta facundia, quali ſermonis ornatu et dulcedine, quanta rerum veritatumque prolatarum vbertate, valore et pretio, deſideratiſſimus Roedererus ſelecto amicorum et auditorum numero, ex quibus praeter egregium Hirſchfeldium Medicum Lauenburgenſem nos

 modo

modo ſuperſtites ſumus, tradere et communicare ſolebat litterarum et doctrinae medicae copias, quarum partim in hoc tractatu mentio facta eſt.

Accipite igitur AMICI CHARISSIMI *et* DOCTISSIMI, *nouam huius opuſculi editionem in perennem amicitiae teſſeram. Valete mihique Fauete.*

Dab. Gottingae d. 24. April. 1783.

HENRICI AVG. WRISBERGII

PRAEFATIO

CONTINENS SIMVL DESCRIPTIONEM

TRICHVRIDVM.

---

§. I.

Vt deſideriis et precibus multorum ſatisfacerem eruditorum, librum doctum et vtilem de *Morbo mucoſo*, quem olim beati viri Roedererus et Waglervs euulgarunt, cuiusque exemplaria plane deficiunt, denuo in publicum emitto. Noua illum

 com-

commendatione non egere, mecum omnes exiſtimabunt, qui de veritate conuicti ſunt, vt in botanica et hiſtoria naturali in genere *Monographiae* magnam vtilitatem praeſtant, ita in praxi medica *ſpeciales morborum deſcriptiones* ad amplificandam ſcientiam plurimum conferre: perfectiſſimis autem et ornatiſſimis morborum monographiis, hanc de morbo mucoſo accenſendam eſſe, palam profiteor.

§. 2.

Cum egregium hoc opus originem ſuam coniuncto Roedereri ſtudio, doctrinae ingenioque, et Wagleri induſtriae debeat, multiplicis eruditionis et obſeruationum cum cura ex cadaueribus collectarum diuitias comprehenſurum eſſe quilibet ſibi perſuadere poterat. Spem nos minime fefelliſſe, ex lectione libri ipſius patet.

§. 3.

§. 3.

Vix enim, Sydenhamianis et Huxhamianis exceptis, legere poſſumus apud recentiores meliorem epidemiarum conſiderationem, quoad cauſarum diuerſitates, temporum, ſubiectorum varietates, incrementi et declinationis periodos, aeris coelique temperiei viciſſitudines et influxum. *Differentiam bene pinxerunt epidemici et contagioſi*; cum illud absque omni cum aegrotis commercio morbum accendere, hoc, ſolo contactu miaſma ſuum propagare ſoleat. Quibus prudenter annumerarunt morborum mediam quandam claſſem, quibus gignendis et producendis praeter epidemicum aeris, contagii quoque ſpecifici vis requiritur.

Magna cum ſatisfactione animaduertimus epidemiarum ſequelas, vniusque epidemici morbi in alium transmutationem, quam tam luculenter in tranſitu dyſenteriae praegreſſae in morbum mucoſum ſequentem

oſtendit b. Roedererus. Laborabant enim omnes infimi ventris labe multiplici; oriebantur fere cunctae ex intermittentibus variae indolis; vtplurimum incipiebant ex praegreſſa diarrhoea, vbiuis aderat primarum viarum ſaburra, bilis corrupta, et mira acrimonia virulenta; comitabantur vtrumque morbum ſymptomata catarrhalia; communis quoque fuit tranſitus in morbos lentos et q. ſ. a.

Summam quoque pathologici ingenii anatomica corporis cognitione expoliti acumen prodeunt, quae de morbi mucoſi duplici legimus tranſitu, in *mutatam lymphae et gelatinae labem*, *et in ſingulare pulmonum vitium aliamque deſtructionem.* Vti enim praecipuus morbi deſcripti genius in vniuerſali pituitae, frequentius abdominalis corruptione conſiſtit, hinc ea praeprimis loca affecit, quibus natura ad parandos illos humores vtitur.

§. 4.

§. 4.

Paucis tantum lectores attentos reddam ad laudabilem et omnibus practicis medicis ſummopere commendandam methodum et normam, indicationes formandi, et remedia ſeligendi, a qua Praeceptor optimus b. Roedererus nunquam deflectere ſolebat, et cuius b. Waglerus in tota Sect. II. tanta cum ſolertia mentionem fecit. Vtinam multi recentiorum medicorum, qui ſpecificis adeo delectantur remediis, ſimili prudentia et cautelis incederent! Sed iam promiſſam *Trichuridum* noui vermium inteſtinalium generis deſcriptionem, alibi a) iam a me traditam, paucisque additionibus auctam exhibiturus ſum.

§. 5.

Inter recentioris aeui inuenta, quae et hiſtoriae naturalis, et medicinae practicae campum

a) *Satura obſeruationum de Animalculis infuſoriis, Gœtting.* 1765. *p.* 6.

campum amplificant, merito hanc trichuridum hiſtoriam pertinere, ibique non infimum locum occupare eo magis putamus, quo ille morbus memorabilior, qui pie defuncto ROEDERERO inuentionis occaſionem ſuppeditauit b). Vniuerſa ſingularis huius vermis

b) Parum quidem quamuis intereſſe videatur ſcire, qua ratione, quibusue ſub conditionibus et quo primo inuentore res quaedam noua cum orbe erudito communicatur, non ſuperuacaneum me ſuſcepturum eſſe laborem tanto magis exiſtimo, ſi de tempore inuentionis et modo quo *primae trichurides* viſae ſunt, quaedam adiicio, cum partim varia a variis erronea in ſcriptis tradita ſint, *trichurides* primas in inteſtinis militis praeſidiarii gallorum conſpectas eſſe, partim hi vermes tanquam praecipuum morbi mucoſi ſymptoma habiti fuerint, qui tamen in fere omnibus hominibus, quin aliis animantibus inueniuntur, vbi morbi mucoſi nullum adeſt veſtigium. Ante annum 1760. trichurides nemini innotuiſſe, res pene certa eſt, nam licet b. VOGELIVS *in Prael. de cogn. et curand. praecip. corp. hum. affect.* p. 649. not. e. ſuſpicatus ſit, WILH. FABRICIVM HILDANVM easdem iam vidiſſe, cuilibet tamen hos *lumbricellos aciculares* cum trichuridibus comparanti, diuerſitas facile apparebit.

ermis illuſtratio, et ſcriptis et iconibus ex-
rata, ipſique regiae ſocietati ſcientiarum goettin-

rebit. Media hyeme 1760–61. ſtudioſorum aliquis in theatro anatomico praeparatione valuulae coli puellae quinquennis occupatus, ex improuiſo vulnuſculum coeco inteſtino, frequentiſſima in cadaueribus trichuridum ſede, inflixerat, prodibant tunc cum aqua, ligatum inteſtinorum fruſtulum replente, et reſiduis excrementorum partibus, *teneri vermiculi*, quos ego tunc cum aliis ſtudioſis ſimul praeſens ad conſuetos inteſtinorum hoſpites non referri poſſe putabam, alii inter quos etiam b. *Waglerus* tunc temporis profeſſor, pro aſcaridibus, naturali forma forſan maioribus, alii adeo pro iunioribus lumbricis venditabant. Ridendo et per iocum dicta in ſerium conuertendo, in rem ipſam, accuratiori certe ſcrutinio dignam, nulla amplius dirigebatur attentio. Cum aliquot diebus elapſis diſſenſus noſter ad aures b. Roedereri perueniſſet, cupidus in perſpicienda controuerſiae noſtrae et vermium ſpeciei natura, fruſtulum ipſum infantilis inteſtini allatum incidebatur, et glomer vtriusque ſpeciei multis veris aſcaridibus remixtus inteſtino exemtus in ſpiritu frumenti aſſeruatus eſt. Paullo poſt oſtendebantur hi vermiculi Excellentiſſ. Bvttnero noſtro, qui, cum ille Roedeˈrero aſſentiretur, nouum inteſtinorum hoſpi-

goettingenſi d. 3. Octob. 1761. in conſeſſu communicata, prouti indices (*Goettingiſche gelehrte Anz. 1761.* 25. St. pag. 243. teſtantur, vt hanc quoque ob cauſam ſatis doleri nequeat, nimis praematura Illuſtris autoris morte, impeditam vtiliſſimi ſane operis publicationem fuiſſe. Non poſſum itaque non illa hic inſerere ſpolia, quorum ex melliflue praeceptoris optimi ore recordor, cum maxima harum obſeruationum microſcopicarum pars, me praeſente in theatro anat. conſcripta fuerit. Annorum 1760. et 1761. erat, niſi omnia me fallunt epidemia, quae propter

hoſpitem eſſe, his vermiculis ob caudam filiformem nomen *Trichuridum* conuenire credidit, et reuera condidit. Ab illo tempore, accedente imprimis epidemia mucoſa, omnium cadauerum inteſtina ſollicite perſcrutata ſunt, et factum inde eſt, vt b. Roedererus, nouitate rei ductus forſan nimis liberaliter crederet, mucoſae epidemiae adſcribendum eſſe, vt trichurides tam copioſe in cadaueribus inueniantur, quae certiſſime ante illam epidemiam inueniri potuiſſent, et nunc etiam in omnibus fere cadaueribus inueniuntur.

propter verminoſum omnium morborum habitum, cum vniuerſali muci corruptela celebris fuit; ipſius morbi peculiaris conditio tractationi cuidam oportunitatem adminiſtrauit, qua, et obſeruationum candore, et iudicii acumine, vix datur celebrior: amiciſſimi Wagleri *de morbo mucoſo commentationem* intelligo, qui hunc morbum incomparabili ſolertia deſcripſit. Cadauerum ſectiones inter alias memorabiles res, hanc quartam inteſtinalium vermium ſpeciem oſtendebant, quorum apud Celeb. Waglervm l. c. p. 41. vel nouae edit. p. 61. Tab. III. fig. 4. a. b. mentio facta eſt.

§. 6.

Primi quos vidi, vna cum duobus lumbricis, fragmentis radicis liquiritiae inuoluti, in duodeno inueniebantur c).

1°.

c) Ne verba haec iniquam patiantur interpretationem, ſententiam meam exactius explicaturus ſum. Si omnes, quas quotannis

1°. Duplex primo adſpectu illorum exterior erat habitus. Alii enim corpus habebant

annis circa trichurides inſtitui obſeruationes, diligenter confero, aſſerere poſſum, non in ſolo coeco nidulari trichurides, ſed in toto inteſtinorum tractu ſedem figere ſolere, frequentiſſime autem elotis inteſtinis in coeco inueniri. In pluribus cadaueribus, cuiuscunque fere aetatis, nam in biennibus illas vidi infantibus, vniuerſum inteſtinorum tractum ſecundum longitudinem aperui, et ſub tali encheireſi *primas trichurides in duodeno* deprehendi, et ſic porro in reliqua tenuium parte, ieiuno inquam ileoque, nunquam autem in ventriculo. Sub ſpurcis his omnino diſquiſitionibus bis tamen mihi contigit cernere trichurides aliquas tunicae villoſae ilei adhaerentes; aliae ope illius extremitatis quam caput vulgo appellant et quae proboſcide in ſpiralibus inſtruitur, inteſtino adhaerebant, cauda vero libere fluitante, in aliis vtraque extremitas tunicis inteſtini infixa erat: in curvis trichuridibus cum vtraque extremitate adhaerentibus fortem nexum deprehendi, volſella ſub modica vi adhibita vix ſolubilem. Plerumque proboſcidem oſculo glandulae cuiusdam peyerianae, aut folliculi mucoſi immerſam vidi, capitula caudae alibi, licet interdum his orificiis etiam applicita cernerentur. Conſentit ſane haec obſer-

bebant in veram lineam ſpiralem d) conuolutum, cochlearum inſtar, alii leuiter ſolummodo incuruum

2°. Corpus intermedium modice craſſum diſtinguitur, & terminatur in ſuis extremitatibus proboſcide prominente, & tenuiſſima cauda, quae diuerſimode magis minusve curuatur.

3°.

obſeruata adhaeſio cum eleganti animaduerſione Viri Illuſtris Dni. PALLAS *in Nov. Comment. Acad. Scient. Petropol. Tom.* 19. *p.* 450. licet ego meis lentibus „talem marginem, diuergentibus vncinulis inſtar oris taeniae cucurbitinae et hydatigenae coronatum", cernere & inuenire in filamentoſa trichuridum extremitate non potuerim, qualem ibidem Tab. X. fig. 6. A. delineauit. Sed ſummus ille obſeruator, cuius ampliſſimam doctrinam, ingeniique acumen admodum veneror, alio in loco Neue Nordiſche Beyträge I. B. S. 112. ipſe confeſſus eſt, differre ſuum vermem, quem *Taenia ſpirillum* vocauit, a trichuridibus noſtris.

d) In ſpiram planam contracta dicit b. a LINNÉ *Mantiſſa II. pag.* 543.

3°. Maxima craſſities corporis tertiam circiter lineae partem aequat. Corporis longitudo ad 7. lin. caudae ſolius vero ad 15. lin. accedit. Senſim corpus in caudam pariter ac verſus vaginam attenuatur.

4°. Proboſcis ex parte interna ſiue inferiori capitis prodit, & parumper incuruatur: oculo nudo examinata, tenuis filamenti inſtar apparet, e) ſub microſcopio autem (ad quem vſum pariter compoſitum anglican. adhibuimus) ipſa proboſcis a noua alia quadam parte diſtinguitur, quae proboſcide amplior, & breuior, hanc vaginae inſtar ambit, extra quam

e) Vidit et delineauit proboſcidem Clariſſ. WERNER in *Vermium inteſtinal. praecipue taeniae hum. breui expoſitione Lipſ.* 1782. p. 85. Tab. VII. figg. 138. 139. 140. 141. item Celeb. BLOCH in Abhandlung von Erzeugung der Eingeweidewürmer, Berlin 1782. Tab. 7. fig. 9. Perlecta Clar. WERNERI deſcriptione, qua proboſcidis ſummam extremitatem hirſutam eſſe aſſeruit, repetii obſeruationes meas, nullam vero hirſutiem animaduerti.

quam pars proboſcidis prominet. Vagina latitudinem $\frac{2}{3}$ partium, proboſcis eminens $\frac{1}{3}$. habent. Interim tamen pro diuerſitate ſubiecti, et haec quoque admodum variabilis craſſities inuenitur, ita vt in aliis multo craſſior ſit vagina, et praecipue putredinis mutationes hanc inſigniter augere videntur craſſitiem, verſus extremitatem a capite remotam, quae mutatio quodammodo ſimilitudinem tubae efficit, eaedem quoque ratione longitudinis aberrationes valent. In trichuridibus ſpiralibus, ad quartam circiter longitudinis vaginalis partem, proboſcis prominet, cum e contrario (quantum certi de hac re adhuc mihi conſtat) in nullo ſpecimine trichuridum incuruarum proboſcidem eminentem viderim. Vnice apertura adeſt, quae in exiguum canalem terminatur, an forſan in omnibus incuruis trichuridibus proboſcis retrahi poſſit? Pars vaginae ad latus proboſcidis producta, ſub microſcopio pellucet; ipſa proboſcis quae

in quibusdam ſubiectis intra vaginam abſconditur, ſub hoc vaginae peplo, obſcura eſſe videtur. In quibusdam exiguum tuberculum origini vaginae inſidet, non in omnibus illud vidi.

5°. Proboſcis ex vagina magis minusve exſeri poteſt. Vagina vero, quo breuior eo craſſior, quo longior eo anguſtior. Cavum proboſcidis vsque ad apicem detegi nequit.

6°. Proboſcis continuatur in obſcurum canalem intra ipſum vermem reconditum, qui in trunco vermis parumper lateſcit, lineamque cauam vermis ſequitur, in vlteriori progreſſu denuo extenuatur, iterumque lateſcit.

7°. Totius vermis ſubſtantia ſub microſcopio eleganter granulata, quaſi omnis ex minimis eiusdem magnitudinis, fere vti

in

in polypis, corpuſculis confecta, apparet. Per longitudinem totam vermis conſpiciuntur ſtriae transuerſae, quae procul dubio, ſi ratiocinari fas eſt, nihil aliud ſunt quam muſculi transuerſi animalculum conſtringentes, eo melius diſtincti ſi modice trichuris exſiccabatur.

8°. Per omnem extenſionem corporis longitudinalem, canalis decurrit albus ſpiralis materie quadam albiſſima non pellucente plenus. Spirae diſponuntur fere vti in vaſis ſpermaticis humanis, vna lamina alteri quaſi apponitur, vt perfecte corporibus pampiniformibus ſimiles ſint. Initium lineae minus curuum eſt, ex ipſo capite ſ. parte anteriore vermis paullulum incurua; ſtructura eodem fere modo comparata eſſe videtur vti in lumbricis. (ſaepius, pro inſolita beati praeceptoris erga diſcipulos ſuos benignitate, qua et contrarias illorum aſſume-

 bat

bat, beneuola mente ſententias, de vera horum canalium determinatione, certoque illorum vſu, verba fecimus: alia ſaepius cogitabat, et vidit fortaſſis quaedam, quae, quibus praecocis ſui ingenii receſſus occluſi erant, aliis non patebant, recenſebimus ea, quae me repititis vicibus vidiſſe certus ſcio) Canalis nempe aderat albus ſerpentinus ſpermaticus ſine dubio, variomodo conuolutus, et circa canalem alterum, quem pro alimentari Roedererus agnoſcit, vario ordine ductus. Dirigitur magis verſus alterum vermis planum. In regione capitis continuari videtur in ouarium ſ. receptaculum amplius, magis pellucens, quod in oppoſito plano iuxta totam fere vermis longitudinem, rectilineum excurrit, et denuo in canalem mutatur, ſpermatico paullo ampliorem, qui per longitudinem 2. lin. parum ſerpentinus eſt. Vbi in corpore deſcendit illud receptaculum, ſenſim amplius fit, eo vero anguſtius, quo magis

magis ad ſpiralem accedit directionem. Haec vltima quoque pars magis pellucet quam canalis ſpermaticus, illaque materia alba minus plena refertaque eſt. Tandem verſus concauum vermis marginem curuatur, et in ſuperficiem diſtincto hiatu parum contracta patet. Non patet ſolum, ſed tuberculum ad ambitum aperturae prominet diſtinctum, et ſpeciem duorum labiorum refert, ſi a latere illud tuberculum adſpicitur. Apertura haec ab initio caudae lineam et amplius circiter diſtat. Conueniens cum ſimili in lumbricis canalis ſtructura, partesque contentae, generationis munera huic ductui adſcribere iubent. Extrema pars huius canalis ad alterum vermis planum eſt, ad alterum vero alimentaris canalis habitat, ita vt ſibi quaſi incumbant. Apertura non eſt exacte in partis concauae medio, ſed verſus illud planum dirigitur, in quo canalis generationis deſcendit, hinc ſub microſcopio vnice in illo latere

tere videtur. Apertura canalis generationis in verme recenti, cum canali alimentari quaſi confunditur, ita vt vnus alterum tegat: In exſiccato autem verme, contractis partibus, propior ad marginem concauum eſt canalis alimentaris, multum tenuior, magis in medio vermis canalis generationis. In verme recenti colore non diſtinguuntur, niſi quod obſcurior ſit canalis alimentaris, in ſicco canalis generationis argenteus quaſi eſt atque pellucens, fuſcus eſt canalis alimentaris, minusque pellucet. Partes itaque generationis variis in ſedibus canali alimentari circumponuntur, vt quaſi illas perforari videantur.

§. 7.

9°. Succeſſiue partes contentas examinauimus. Perſcindebatur receptaculum, et innumera ouula fluminis inſtar profluunt. Seruant figuram canalis, et diſtincte innatant liquori cuidam tenaci, qui omnia iuncta

ſta conſeruat. Eadem ouulorum quantitas in trichuridibus inuenitur ac in lumbricis, in receptaculo aeque quam in canali ſpirali, et canalis ſpiralis fere eandem craſſitiem habet ac receptaculum.

10°. In ouulis diſtinguitur cauum, ſubſtantia craſſa, obſcura plenum, et ambitus pellucens. Quando ouula exſiccantur, ſubſtantia pellucens perit, et moles vnice reſidua manet opaca.

11°. Manifeſte ouula inueniebantur in extremo canalis generationis, qui terminatur in aperturam lateralem cum labiis, quin ex ipſo orificio ouula exprimere potuimus. Parum verſus illam aperturam hic canalis contrahitur, et eleganter ab ipſa vermis ſubſtantia diſtinguitur, imo facta in verme inciſione, exprimitur, vbi etiam ſubſtantia canalis ſatis craſſa, et canalis, et cauum incluſum diſtincte apparent.

12°. Trichurides incuruae perſciſſae nihil ouulorum exhibebant, vnice maſſa quaedam tenax mucoſa minimo gradu veſicularis. An itaque mares ſint, f) et proboſcide penis inſtar vtantur? num in rectis apertura poſterior vulua ſit? num in his ideo loco proboſcidis exiguum quoddam tuberculum ad caput promineat?

13°. Canalis alimentaris, alter ille ductus cuius mentionem fecimus, ſpiralis non eſt, ſed reſpectu vermis, rectus, ſequitur nempe partem concauam vermis, in medio craſſiſſimus, diſtinctus, et maſſa nigra plenus. Certiſſime ex proboſcide continuatur. Infra aperturam canalis generationis deſinit in ſaccum coecum, in quibusdam ſedibus ipſo

f) Coniecturam hanc aſſenſu magni, indefeſſi et oculatiſſimi naturalium rerum ſcrutatoris confirmatam lego in *Illuſtris* Mvlleri Abh. von Thieren in den Eingeweiden der Thiere in des Naturforſchers 12. St. S. 182.

ipſo canali tantillum ampliorem. In quibusdem ſpeciminibus imo in plurimis, vidi ad ipſum illum finem notabilem maculam nigram, et in vicinia lineam transuerſam eiusdem coloris, quibus in nonnullis accedebant adhuc corpuſcula quaedam nigricantia. An anus, an excrementa? Haec ſaepius repetita obſeruatio nos vlterius conuicit, maculam nigram eſſe orificium ani in altero plano poſitum, et lineam nigram transuerſam procul dubio eodem pertinere vel aliquid excrementorum eſſe.

14°. Prouti canalis alimentaris partem concauam vermis ſequitur, ita partem conuexam receptaculum reſpicit, in tenuem canalem caput verſus excurrens. Medium locum occupat canalis ſerpentimus deſcriptus.

15°. Inter ſerpentinum canalem, et receptaculum, medius alius eſt canalis nodoſus, materieque albida pleniſſimus. Aſcendit vsque

que ad apicem capitis, rurſus deſcendit, et in ductum ſerpentinum reflectitur, vlteriusque in canalem receptaculi. Vnde autem oriatur hic ſerpentinus canalis, an ex capite? hoc determinari nequit, videtur originem ſuam ibi habere, ſine continuatione ex alio, et fortaſſis in vermis parte inferiore in nodoſum continuatur.

In genere notandum eſt, in capite illos canales admodum conuolutos eſſe, vnumque quaſi corpus efficere ſubobſcurum, ſub microſcopio non pellucens.

16°. Ex regione, vbi eſt finis canalis alimentaris oriri videtur alius canalis, qui in caudam deſcendit, ad apicem eius vsque. Cauda hunc vnicum canalem complectitur, ambitus illius laeuis non eſt, ſed aſper, ac ſi irregularis quaedam materies inhaereret. Ad canalem generationis non pertinere videtur, ſiquidem in pluribus ſubie-

ctis

ctis materiem contentam examinauimus, et ne veſtigium quidem ouulorum detegere potuimus. An illa materies irregularis ſatisque pellucens, liquor quidam nutritius ſit ex canali alimentari natus, et quaſi in inteſtinum productus? In quibusdam dictus canalis teres et ſpiralis inuentus eſt.

17°. In cauda ſicca rurſus medium quoddam cauum ſ. canalem diſtincte obſeruauimus. Num ſit peculiaris canalis? an cauum caudae?

18°. Finis caudae totus acutus eſt, ita tamen, vt duae lineae caudae ad acumen excurrant. Extremus apex cum rotundo tuberculo terminatur g).

§. 8.

g) Dubitatur an filiformis trichuridum ſpiralium et curuarum extremitas cauda animalis ſit, et Illuſtris Pallas conſtanter aſſerit in Neuen Nordiſchen Beyträgen I. B. S. 112. eſſe hanc filiformem vermis partem extenuatum et in anguſtiſſimum finem protractum animalculi capitulum quo inteſtinis ſeſe affigeret: Magni viri

§. 8.

Haec nunc ea ſunt, quae praeſentia mea teſte coram b. Roederero circa memorabilia haec

viri ſententiam intellexiſſe videtur Clariſſ. WERNER cum in egregio libro ſuo p. 86. contrarium aſſerat, et „ne minimam quidem organicae ſtructurae ſuſpicionem in „illa parte adeſſe, craſſiorem vero vaſculoſam fabricam oſtendere„ ſtatuat. Non adeo facile eſt litem componere, cum difficile dictu ſit, quales functiones noſtra animalcula ope vnius alteriusque extremitatis exerceant, num alimentum ope craſſioris partis attrahant, vel mediante extremitate anguſtiore, tenuiore et longiore id fiat. Repetitis obſeruationibus certus ſcio, per filamentoſam trichuridum extremitatem excurrere anguſtiſſimum canalem in apice talem in modum finitum, qualem in aſcaridibus cernimus, cum praeterea euidentiſſime viderim (pag. X.) trichurides ope huius extremitatis pariter inteſtinis adhaeſiſſe, et ſagaciſſimus Roederer. (in Götting. Anz. *l. c.* p. 245.) iam ſuſpicatus ſit „der Wurm durchſuche mit dem Schwanze, (wie mit einem Rüſſel) die Excremente, und ſauge mit der Spitze das Dünneſte der Nahrung in ſich„ ſententia Illuſtris PALLAS mihi probabilior facta eſt. Multum vero lucis ſpargere poterunt ſuper totam hanc controuerſiam ſolidiſſimae et

haec animalcula obſeruaui, et ex annotatiunculis hauſi, plura, melioraque vna cum iconibus, vel ex ipſis Autoris poſthumis, vel ex dilectiſſimi et Celeb. WAGLERI, Profeſſoris et medici Brunſuicenſis feliciſſimi, erudito tractatu expectanda ſunt. Publici intererat, vt paullo vberior vermis cuiusdam deſcriptio ederetur, qui aliis quoque in Germaniae prouinciis, eodemque in morbo obſeruatus erat. Huc pertinet relatio a Waglero meo mihi ſuppeditata, cui ab initio anni 1763. ex principatu Waldeckenſi, et hiſtoriae morborum et trichuridum ſpecimina transmiſſa fuerunt.

§. 9.

Cum quatuor et ultra annorum luſtra elapſa ſint, ex quo tempore primum has trichu-

et veriſſimae obſeruationes Viri Vener. GOETZE quas in opere deſideratiſſimo Naturgeſchichte der Eingeweidewürmer cum publico communicabit, judicio magni huius viri, veri in hac lite judicis competentis, totam rem lubenter committo.

trichuridum deſcriptiones eruditis exhibui, et quotannis in ſimilibus vermibus tum ex cadaueribus deſumtis, tum a viuis hominibus eliſis easdem obſeruationes repetii, veritatem annotationum mearum ubique talem in modum confirmatam vidi, vt nihil magni momenti vel ad augendum vel ad mutandum addere nunc poſſim. Redeunt fere omnia ad paucas quasdam concluſiones.

1) Sunt certiſſime duae a ſe inuicem differentes trichuridum ſpecies, quarum *ſpirales* ſemper proboſcide inſtructae ſunt in nullo indiuiduo carente, modice *curuatae* autem nunquam talem oſtendunt h).

2) Multum ſane difficultatis parit examen extremi apicis in proboſcide trichuridum ſpira-

h) Agnouit hanc veritatem, ſiue illam ex aliorum autoritate, ſiue ex propria obſeruatione ſibi cognitam reddiderit, ex relatione non patet, eruditus Auctor Clariſſ. Happ *in Diſſ. de Vermium Hiſtoria, Lipſ.* 1780. *pag.* 22.

ſpiralium, oculis praeſtandum, nam in omnibus ſpeciminibus proboſcis talem in modum verſus proprium vermis corpus directa eſt, vt cum eodem quaſi coalita videatur.

3) Licet ſingulas trichurides vtriusque ſpeciei inteſtinis infixas viderim, ſaepe tamen in cadaueribus glomeratim lumbricis et aſcaridibus remixtae et implicitae inveniuntur: Saepe deprehendi glomeres ex 15. 20. 24 trichuridibus conſtantes quarum longiſſimae caudae tam arcte erant implicitae, vt vno verme prehenſo, totus glomus ſuſpenſus teneatur. In genere miram poſſident in ſuis partibus tenacitatem, inſtrumento enim cuiuscunque indolis et naturae ſi excipiuntur, non facile a parte cui applicatae fuerunt, ſolvuntur. Saepe equidem contigit, vt varia alia filamenta excrementitiis particulis immixta eſſent, quae, ſi paullo curatius obſervabantur, pro trichuridum pu-

tredine correptarum caudis nuncupandae erant, tam vietae et maceratae euaſerunt, vt in ipſa aqua, aut ſpiritu arrepta ſeſe ſuſtinere non potuerint.

4) Ratione ſpirarum etiam aliquid differentiae occurrit, vidi enim tales, vnicam modo ſpiram formantes, alias in duas vsque ad tres ſpiras cum dimidia contortas notaui. Reſpectu magnitudinis autem non adeo differunt, plerumque aequalis longitudinis et craſſitiei eſſe ſolent, pauxillo minores interdum inveniuntur: Sive in hominibus adultis ſiue in tenellis infantibus examinentur perinde eſt.

§. 10.

Ex multitudine obſeruationum deſcriptarum quas vti dictum eſt de die in diem collegi, vnicam modo adjicere lubet de curuarum ſpecie deſumtam, cum partim vnam alteramque particulam interioris ſtructurae bene determinet, partim probet, in tenellis infantibus trichurides pariter inueniri.

De-

Deſumptae erant trichurides ex cadauere infantis 2. ann. phthiſi pulmonali extincti, d. 30. Nov. 1777. Per 3. dies in aqua puriſſima fontana aſſeruabantur, vt flauus color, quo, dum in jejuno inter excrementa copioſa bile remixta latuiſſent bene eluerentur. Inſpiciebantur d. 2. Dec. h. 6. veſp. vſus ſpeculo reflectente candela illuminato. Obſeruaui in trichuride recta ſequentia momenta.

1) Caput in rotundum quoddam extremum terminabatur, vncini in modum aliquantiſper incuruum, quae incuruatio modicam ſpirae directionem ſequitur, ſine vllo proboſcidis atque vaginae proboſcidem includentis veſtigio.

2) Quodſi plena luce vſus ſum, duplex ſubſtantiae vermis diuerſitas apparet, alia pellucet, alia opaca eſt.

a) Opaca ſubſtantiae pars in rotundo capitulo incipit, illius dimidiam partem occupans, ſenſim lateſcendo in concaua

vermis parte progreditur, vt fere integri vermis latitudinem adimpleat, ſit denuo arctior, rurſus latior redditur, variisque dein conuolutionibus et vndulationibus per vermem deſcendit, in anguſtiore vermis canale ſucceſſiue arctatur, et tenui quodam nigricante filamento per caudam vermis decurrit, atque in media circiter caudae longitudine imperceptibili fine deſinit.

b) Pellucida, quae tamen proprie non pellucet, ſed reſpectu prioris minus opaca eſt, margines vermis occupat, tam concauum quam conuexum, hac quidem ratione, vt ibi ſit latior, vbi opaca anguſtior, et vice verſa, maxima vero caudae pars eiusdem conditionis eſt.

3) Subſtantia pellucida ſub plena ſpeculi luce ex minimis corpuſculis atque punctis organicis in vnum corpus concretis compoſita eſſe videtur, de natura ſubſtantiae opacae nihil determinari potuit propter eandem opacitatem.

4) Lucem

4) Lucem dein ita moderauimus, vt reflecteretur quidem, integer vero candelae radius ſeu tota candelae imago non ad objectum accedat, in vmbra potius objectum conſtitutum maneret, leniter tantummodo, ab inferioribus illuminatum, nunc diſtincte apparet, obſcuram vermis partem eſſe viſcus quoddam, ab initio nempe ab ejus ex capite origine per aliquam vermis longitudinem recta via ſine omni inciſura et vndulatione progreſſum, in latiore corpuſculi vermis parte in ſpiralem canalem vel corpus, nam vacuum canalem eſſe tunc videre non poteram, abire; qui factis contorſionibus proxime ſibi vicinis, vsque ad illum locum properat, vbi vermis tenerior fieri, et in caudam abire incipit; breui ab vltima ſpira deſinit rurſus in rectum quoddam extremum, non vero hoc ſpirale inteſtinum in caudam continuatur.

 5) Prae-

5) Praeter deſcriptam hanc partem ſpiralem, in concauo vermis margine proxime ad latus decurrit alia quaedam ſtria ſeu linea omnium opaciſſima et nigerrima, non adeo lata quam praecedens inteſtinum ſpirale. Haec incipit in media circiter capitis et colli parte, fuſco ſuo colore per partem opacam non ſpiralem medium decurrit, vbi opaca vero pars ſpiralis fieri incipit, ibi ad marginem concauum applicatur, eundemque legit, vsque demum in cauda in longam tenuem opacam ſtriam terminetur.

CAR.

CAR. GOTTL. WAGLERI

PRAEFATIO.

L. B. S.

Ad explorandum et deſcribendum omnem morborum epidemicorum ambitum ſingulorum labores vix ſufficere, qui ipſe vmquam eius rei periculum fecit, facile largietur: tanta enim rerum multitudo eſt, vt vix obſeruantium ſocietas illis exhauriendis par ſit. Licet etiam plures iunctis viribus laborum ſatagant, niſi ad vnius magiſtri ectypum fuerint formati, vel, ſi ita loqui fas ſit, ab vno eodemque archaeo impellantur et coerceantur, ob varias diuerſorum ſententias et vires, a ſcopo diuergunt. Quid impedit, quo minus Hippocraticarum obſeruationum diuitias ex ſelectiorum etiam diſcipulorum, quibus ſuam quaſi ipſius animam inſpirauit, ſymbolis repetamus.

Contigit & mihi felici, poſtquam aliquot annos ROEDERERO magiſtro vſus fueram,

quae ſemper in votis erat, fauſta ſors, vt ſelectiori etiam diſcipulorum numero accenſerer, qui artis clinicae ſtudio, ipſo auſpice, operam dabant, atque ipſi ſodales inter aegrorum cubilia diſcurrebant. Additis deinceps in theatro anatomico, dum proſectoris munere triennium & quod ſupra eſt, fungebar, laboribus, arctioribus vinculis coaluerunt animi, adeo, vt abhinc temporis nihil fere in exercenda arte ageretur, quin ipſi a manu eſſem, vel comes aſſociarer.

Ea inprimis periodo, qua belli diris calamitatibus premebamur, largam cognitionis meſſem praebuit ſingularis morbus epidemicus, cuius indagandi cupido prae reliquis occupauit *Illuſtrem* ROEDERERVM, anteſignanum noſtrum & ducem. Ad mentem Praeceptoris, quae in illa conſtitutione epidemica agebantur, litteris ſedulo mandata ipſoque cenſore notata et emendata, ingenue ſinguli eiusdem ſelectioris numeri diſcipuli inuicem communicabamus; ea quidem lege, vt ſua cuique eſſent negotia, fructus autem ex diuerſis labo-

laboribus communis. Promeruit potiſſimum indefeſſa obſeruandi ſollertia Optimus *Stormius*, patriae ſuae redditus, Holbeccae Medicus Prouincialis Clariſſimus, cuius aſſiduitati magnum hiſtoriarum morbi numerum debemus. Diſſectionis prouincia mihi ita demandata eſt, vt frequentiſſimus in theatro anatomico labor, quidam paſſim per vrbem, *Ill.* ROEDERERI auſpiciis, fuerit, reliquo etiam temporis praxi dicato.

Argumenti praeſtantia captus, cupidine flagraui, res in iſta Epidemia a nobis geſtas publicae cenſurae ſubiiciendi. Ita deſideriis, pro more ſuo, annuit *Ill.* ROEDERERVS, vt ex ſingulari in me fauore non obſeruationes tantum, omnes, ſed vel ipſas icones aeri incidendas humaniſſime mecum communicauerit; eo quidem conſilio, vt quos ipſi, negotiis obruto, tempeſtiue ſatis diuulgare non liceret, labores mixtos, ſaltem ipſo cenſore et moderatore digererem. Atque adeo, qua potui fide, ad mentem eius regulasque pathologicas omnia concinnaui et ex ingenti obſeruationum cu-

mulo qualecumque hoc opuſculum, exſtruxi. Nihil ex meis acceſſit, niſi prius ab ipſo acceptum probatumque fuerit.

Ad easdem leges compoſita eſt, quae ſequentis anni conſtitutionem epidemicam explicat, ſuauiſſimi tunc temporis commilitonis, Clariſſimi *Hensleri* tentaminum & obſeruationum de morbo varioloſo ſatura, nuper ſpeciminis inauguralis loco hic ventilata. Laudi mihi duco atque honori, quod tanti nominis Vir, quem ipſe, ob ſingularem plane in me amorem, alterum patrem veneror, *Illuſtris* ROEDERERVS, non dedignatus ſit, et hunc ingenii foetum auita comitate adoptare ſuumque renunciare.

Liquet autem vel ex hoc qualicumque ſpecimine, quanta ad cognoſcendam morborum indolem, ad rimanda intima humani corporis aegroti penetralia, et vel ad ipſam morborum therapiam eruendam, ſubſidia ſuppeditet anatome: profecto enim, niſi diſſecandorum cadauerum vbertas fuiſſet, intima morbi muco-

ſi

ſi natura adhucdum nos lateret; altiſſimis tenebris abſcondita manſiſſent morbi characteres, hepatis acini, canalis alimentaris ratio ſingularis, folliculi mucoſi, vermium ſedes et effectus, mortis cauſſae, &c.

Quanti ad praxin medicam, ab opprobriis vulgi vindicandam, interſit, vt ex ipſa rerum natura potius, magno & numquam exhauriendo theſauro, eruamus artis fundamenta, quam inuita natura, ex hypotheſibus artem condamus; praeclare teſtantur COI noſtri effata, quae ex ipſo potius naturae fonte, quam ex librorum riuulis hauſit.

Si quid *Illuſtris* ROEDERERI dogmatibus pathologicis et clinicis ineſt vtilis et noui, id profecto felici praxeos cum anatome connubio et ardori, pauperum non minus lateras, quam diuitum domicilia viſendi, tribuendum eſſe, vel ipſe fatebitur. Perſuaſus enim, corporum demortuorum ſcrutinio, accenſa

cenſa veluti luce, omnem de machina corporis humani labefactata cognitionem mirum in modum colluſtrari; neque ipſum, neque ſuos vmquam taedet faſtidioſi aliis negotii, qui parum curioſi remum ducunt, vt didicerunt, et ne molles manus conſpurcentur, nareſque offendantur, eunt, qua itur, non qua eundum eſt.

Quo minus diffuſe collectis aliorum obſeruationibus (quem defectum aliquando iuncta opera ſupplebimus) immorarer; quoque magis ipſarum rerum diſtincte deſcribendarum, quam comti ſermonis apparatus ſollicitus fuerim, temporis et inſtituti ratio voluit. Scrib. in Georg. Aug. d. X. Dec. CIƆIƆCCLXII.

TRACTATVS
DE
MORBO MVCOSO.

SECTIO I.
MORBI MVSCOSI GENERALIORA.

I.
Epidemiarum generalis ratio.

Mirae ſunt naturae operationes, abdita atria, immenſus rerum campus, limitato intellectu non emetiendus. Facile tamen perſuademus, omnia ad certas & perpetuas fieri leges, nihilque in tota rerum natura caſu quodam fortuito & citra ſuas cauſſas contingere. Sed quantillum in hoc ampliſſimo ſpatio exhauſit cognitio humana! Quot adhuc altiſſimis tenebris obuelata, ſibi ſoli intellecta, natura nobis occultat! Quantus morborum numerus, quorum cauſſae,

 pro-

proxima aeque ac remota, abditæ, in tanta rerum caligine procul dubio nos ſemper latebunt! Vtplurimum vltra effectus vix ſapimus. Satis praeſtitimus, ſi quando ſubactum ingenium indefeſſa obſeruatione & longa experientia eo eluctatur, vt eruat methodum, humani corporis affectus morboſos declinandi atque tollendi,

Quotannis fere vnam vel alteram conſtitutionem epidemicam, ſuis quamlibet legibus adſtrictam, animaduertimus: tanta vero vnius ejusdemque morbi, pro diuerſitate cauſarum, temporum, ſubiectorum, interdum eſt varietas: qua non ipſe ſolum diuerſas facies induit, ſed varie varios afficit; vt vel ſagaciſſimus obſeruator aegre ex tanta diuerſitatum multitudine ſeſe expediat. Cuilibet etiam morbo epidemico; ſiue certo cuidam anni tempori adſtrictus ſit, ſiue pluribus tempeſtatibus aptus; ſua ſunt, tum ratione totius conſtitutionis, tum ſingulorum aegrorum, incrementi ac declinationis tempora. Anni quidem tempeſtatum earundemque viciſſitudinum magna vis eſt ad condendum, fouendum vel deſtruendum ſeminium quoddam morboſum epidemicum: quaenam autem aeris diſpoſitio atque mutatio ipſum apparatum producant, & quaenam pro ſingulis epidemiarum varietatibus cauſſarum concur-

concurrentium diuerſitas requiratur, ignoramus. Non ſemper eadem aeris coelique temperies eaedemque viciſſitudines, certi cujusdam generis morbi primordia euoluunt eamdemque aegritudinis ſpeciem producunt. Singulare atque incognitum, θεῖον quoddam pondus, in aere diffuſum, epidemicam morbis notam imprimat, neceſſe eſt.

Differt quidem epidemicum a contagioſo, duplicemque morborum claſſem format. Altera ſolius epidemici efficacia dimanat, citra commercii cum aegrotis, aut contagii concurſum: altera ſine epidemici cujusdam connubio ſoli contagio debetur, nec impetit, niſi quos tetigit miasma. Mediae indolis ſunt morbi, ad quorum generationem, praeter epidemicum aeris, requiritur vis contagii ſpecifici; licet & ſolum contagium receptum morbo ſuſcitando nonnumquam ſufficiat. Multis tamen morbis epidemicis commune eſt, vt nati, aliquamdiu puriori indole, fere ſporadice graſſentur; adoleſcentes vero cum aegrotantium effluuiis verum contagium diffundant: ex epidemici itaque & contagioſi connubio duplicem naturam induunt, aucta ferocitate plures ſimul aggrediuntur, atque ingentem interdum ſub vigore ſtragem edunt. Per actionem tandem tempeſtatis minus aptae, incognitam aeris

mutationem, & nexum cauſſarum mutatum, ſenſim contagii neruus obtunditur, atque vis epidemici infringitur. Pauciores itaque corripit epidemia, indolemque vel penitus exuit, vel aliqua ſui veſtigia relinquit.

Adeo lento tractu morbi epidemici integras interdum regiones peruagantur, vt preſſo quaſi pede eorum veſtigia legere & conſectari nobis liceat. Neque vero ventorum iter, aut lineam quamdam rectam; ſed alios tramites, nondum ſatis extricabiles lineamque obliquam ſequuntur, factis interdum in progreſſu ſaltibus.

Pro indole epidemici, contagii, ſubiectorum, & cauſarum fauentium aduerſantiumue, differunt morborum ſequelae. Alii peius habent, quin iugulantur; alii melius morbum ſuſtinent; penitus immunes manent alii. Corpus enim humanum non omni tempore atque promiſcue pronum eſt ad ſuſcipiendum aut fouendum virus epidemicum & contagioſum: ſed modo nullum plane fomitem alit, atque omnem vim aurae peſtiferae contagiiue reſpuit; modo, licet hoc ipſum fuerit ſuſceptum, per habitum quemdam, morbo aduerſum, vim deleteriam frangit.

porro

Porro obſeruatur epidemici morbi in alium, prioris naturæ plus minus participem, tranſitus. Quamuis etiam emortuam conſtitutionem epidemicam popularium morborum induciae ſequantur; vix a prioris indole discolor praecedentem excipit. Vtplurimum fere morbus epidemicus, exuuiis quaſi depoſitis, vel ipſe ſub noua laruae ſpecie viget; vel ſobolem, ſui non plane diſſimilem, relinquit. Celebris hoc nomine eſt epidemicorum facile princeps, morbus dyſentericus, qui victimarum ſub breui imperio ſtrage non ſatis exſatiatus, parente vitioſiorem prolem progignit.

II.

Epidemia dyſenterica.

Inde ab Auguſto ad Nouembrem anni 1760 in populum graſſabatur dyſenteria. Auguſto nimirum nata, latiusque inde diſperſa, Septembri atque Octobris initio plures cum trucidaſſet; brumali tempore, vi paullatim fracta, pauciores aggreſſa eſt; tandemque, appetente Nouembri, indolem genuinam exuit. Mitiora ejus auſpicia ſucceſſu temporis, pro more, in diriſſima ſymptomata & multam hominum ſtragem euecta ſunt. Multi cum febre leuius habe-

bant, nonnulli grauius decumbebant, aliique chronico modo afficiebantur. Primo menſe perpauci ſuccubuerunt: poſtquam vero morbus paullo adoleuerat, plurimos interemit: & ſub ipſo tandem epidemiae ſtatu & declinatione, multi demum, dudum aegrotantes, inter recens proſtratorum numerum, occubuerunt. Alios nimirum acuto alios lento modo jugulauit. Ita miſer agricola d. 10 Nov. demum, poſtquam per integros tres menſes varia ſorte cum morbo conflixerat, phthiſico modo interiit. Neque morbus illis pepercit, qui fructus horaeos non deguſtauerant. Febris vel tota, memorabilis ſaltem, deſiderabatur: vel non niſi poſt aliqua praeliminaria chronica accendebatur: pauci mox cum febre aegrotabant. Ex febris autem connubio triplex morbi indoles fuit notata: etenim vel tantummodo erratica quaedam leuior, vel vera acuta, vel quod frequentiſſimum, malignitate plus minus ſtipata febris, jungebatur. Quo quis diſtinctiori frigore correptus, lectum ſtatim petiit, cum pulſu frequenti, pleno, forti; eo minus inſidioſae oppreſſionis periculum ſubiit: quo autem ſymptomatum ſyrma numero ac vehementia majus ſenſim, ex leuioribus initiis, augmentum cepit; eo ſimul rerum facies ſucceſſiue in pejorem vertebatur. In grauiori ſpecie, ſubdolo & tecto

cto initio febris inuaſit: modo ex praegreſſa aliquamdiu diarrhoea, modo cum variis ſimulacris catarrhalibus, inflammatione faucium & tuſſi, aegrum tandem adorta eſt.

In leuiori malo, ſanabili, crebrae quidem alui dejectiones, plus minus ſanguinolentae, cum languore, appetitu primis diebus proſtrato, ſiti, tenesmis & ventris torminibus. Senſim tamen verſus tempus criticum haec omnia ſedatiora fiunt, pulſus eleuatur, & criſis ſubinde per ſedimentum lateritium, multo farinaceo inſidente, contingit, pedesque ſub finem parum inflantur. Cruor e vena tractus aegre effluit, & multo ſero demerſa placenta, ſine cruſta inflammatoria, coccinea ſplendet, parte inferiori atra. Exacerbationes ſunt veſpertinae. Lingua ſicca, rubra, aſpera, muco tecta, ſenſim humida, purior atque pallidior.

Rebellius vero *malum* longe pejora ſymptomata comitantur. Statim nempe vires franguntur, proſternitur appetentia ciborum, vrget ſitis, frequenti ad deſidendum ſtimulo laceſſitur aeger, junguntur borborygmi, tormina, dolores atroces in imo ventre, & inter tenesmos deiiciuntur excrementa tenuia, ſanguine permixta, quin ſincerus ſanguis; modo exſanguia, bilioſa, mu-

coſa, plus minus putrida atque foetentia. Dolent praeterea fauces ſiccae, quin exulcerantur. Lingua rubra, aſpera, ſicca, in ſulcos ſinditur veluti exulceratos, muco albo flauo aut purulento tegitur, atque papillis eleuatis obſidetur: ſenſim tumida atque obſcure rubra exulceratur quaſi, & non niſi aegre exſeritur. Pulſus frequens, paruus, impeditus, debilis; quin celer, mollis, intermittens; verſus morbi occaſum tactum prorſus ſubterfugit. Floret facies. Accedunt interdum dolores punctorii in thorace, ſed minus conſtantes. Vrina pauca redditur, ſubpellucida, craſſa, pinguis, flava, ſine nubecula & ſedimento. Ingraueſcente morbo, interdum jam die 5to, inflammantur genitalia cum regione ani: ſenſim inter atrociſſimos ſub dejectionibus alvinis & vrinae miſſione cruciatus, excoriantur, exulcerantur & tandem fiunt gangraenoſa. Alia inſuper peſſimae notae ſymptomata in priorum ſatellitium trahuntur, ſatis conſtantia: vt cardialgiae, anxietates praecordiorum, hypochondria tactu dolentia, nauſea, vomituritio, internus abdominis aeſtus cum calore externo; ſtatus etiam ſoporoſus & imi ventris tympanitica inflatio. Expalleſcit, quo magis ad occaſum vergit morbus, facies, quin ſubito in hippocraticam mutatur. Excrementa foetentia, nigra, clanculum effluunt, admiſto in-

terdum

terdum lumbrico. Reſpiratio, hactenus ſub morbi decurſum bona; fit breuis, ſonora, anxia, profunda, intermittens, cum debilitate atque frequentia; vox vero rauca, obſcura, debilis, interrupta. Inter patentem oris rictum eminent dentes ſqualidi, vtrimque ſicci. Subſiliunt tendines, conuelluntur artus, inprimis ſuperiores; & tandem ineluctabilis mors ſcenam claudit.

Plerique, quibus in *lentam febrem* protrahitur morbus, pereunt. Vniuerſum ipſis corpus admodum languet & extenuatur, atque oculis multum retractis naſoque acuminato, oſſa vbiuis protuberant. Squalida cruſta obueſtiuntur membra, abdomen tympanitice inflatum dolet. Lingua ſqualida, ſubfuſca, ſicca; dentes humidi. Paſſim maculae nigrae, exanthematicae, gangraenoſae, cuti profundae inhaerent. Vlcera in regione oſſis ſacri & trochanterum enata, gangraenoſo modo exſiccantur & eſchara ſicca teguntur. Sitim, ob deglutiendi difficultatem & faucium dolorem, reſtinguere nequeunt, atque potulenta propinata vel cum ſtertore repelluntur, vel lapſu ſonoro decidunt. Copioſa alui excreta peſſime foetent. Vix memorabilia in toto morbi decurſu ſunt deliria, modicique ſopores. Reſpiratione demum anxia, profunda, ſublimi reddita, exſpirant. Alii morbo diutius protacto, &

in pulmones mali parte translata, inter inſidioſas ſalutis inducias, conſueto modo phthiſico pereunt.

In *curatione* vomitoriis, venaeſectione, ſi id opus eſt, rhabarbarinis, demulcentibus, mannatis praecipue, oleoſis, antiputredinoſis, & opiatis, pugnatum; non neglectis clyſmatibus, & addito ſuo tempore corticis peruuiani extracto. Vitrum antimonii ceratum ſpem feſellit, atque ſemper fere praecordiorum anxietates & alui dejectiones nouo ſtimulo adauxit.

Eadem fere *in cadaueribus phaenomena* deprehendimus, ac a BONETO *, PRINGLIO**, aliisque deſcribuntur. Scilicet diu a morte corpus caluit, citoque oborta putredine inſignem foetorem ſparſit. Inteſtina multum inflammata, paſſim, gangraenoſa; & quo a ventriculo erant remotiora, eo majori in gradu deprauata. Tunica villoſa tenuium, veluti arte anatomica iniecta, vaſculis pictis diſtincta, copioſiſſimis punctis paruisque areolis nigris conſperſa. Superficies interna craſſorum lacera, inaequalis, igne quaſi combuſta, obſcure rubra, quin nigricans. Alternae

* Cf. BONET. ſepulcret. Libr. III. ſect. XI.
** PRINGLE obſervations P. III. p. 219. ſqq. edit. germ, p. 281. – 295.

nae areae colliculoſae, durae, nigrae, cum mediis valleculis & ſulcis depreſſioribus, veluti eroſis, ſubpurulentis, illam obſident; atque ſuperficies ita fere comparata eſt, ac ſi qua pars inflammata aut combuſta, a nimia tenſione demum dehiſceret, & elatere ſuo in colliculos, eſcharis ſimiles, corrugaretur, mediis ſulcis ſauciis in parte lacera relictis. Raro in craſſis lumbricus vnus vel alter hoſpitatur, idemque emaciatus, flaccidus, paruus, conquaſſatus. Tenuia nihil vermium recondunt, atque tunica interna licet inflammata, tamen continua eſt. Hepar ſtriis liuidis variegatum eſt, & ſuperficies concaua cum margine dextro penitus coerulea, nigricat. Subſtantia interna vitii conſpicui expers eſt. Lien & reliqua viſcera labe notabili carent. Bilis homogenea, viridis, modice mucoſa. Pancreas multum induratum. Nihil extrauaſati liquoris in abdomine & thorace, parum in pericardio. Pulmones anteriores cinerei, ſani; poſteriores ſanguine inflati. Cor paruum, durum, veluti conſtrictum, vaſis coronariis turgidis.

Menſe ineunte Nouembri febres dyſentericae ſucceſſiue degenerarunt, & paſſim tantummodo lentae quaedam phthiſicae, cum diarrhoea purulenta, colliquatiua, admiſtis nonnunquam ſanguinis veſtigiis, ex dyſente-

ria

ria praegreſſa reſiduae manſerunt. Latius praeterea diffuſa quaedam diarrhoea chronica multos etiam detinuit. Ob varias vero cauſſas, modo curatius euoluendas, ipſa *conſtitutio dyſenterica* genuina, per inſenſibiles fere gradus & mediante illa diarrhoea chronica, *nouam degeneremque prolem genuit.* Superſtes quidem fuiſſe videtur idem contagioſum dyſentericum in aëre: ſed tempeſtate, alendae dyſenteriae genuinae non amplius congrua, vel ipſum mutatum eſt, vel corporum diſpoſitio, aliter nunc afficiendorum. Ita morbi ſpecies mutata eſt.

III.

III.

*Status aeris & tempeſtatum, * inde a menſe Iulio 1760. ad vsque Septembrem 1761.*

Menſ. Iul. 1760.

Barom.)	Sum. Alt.	(29, 76)	Min. Alt.	(29,34.
Therm.)		(81-88.)		(56-54.

Mercurius barometricus per tres ſeries ſucceſſiue relabitur, dum bis adſcenderat: thermometricus multis diebus, mane & veſperi, inter 70. & 77; aliis inter 60. & 66.; aliis denique inter 54. & 62. ſubſtiterat.

Blande ſpirant venti ° –″. Auſpicanti Aquiloni per intermedios ſuccedit O. & S. O.

* Ex annalibus pie deuenerandi ſenis, Excell. HOLLMANNI, praeceptoris & fautoris mei, cui permulta alia debeo, depromta haec exhibeo.

Barometri ſcala, Anglis accepta, ita ſe habet, vt prior numerus pollices, alter lineas & centeſimales referat.

Scala thermometrica Fahrenheitiana eſt. Duplex numerus varios extremi adſcenſus & deſcenſus gradus denotat, inter quos reliqui medii fuere.

Ventorum gradus exprimunt ſigna, quorum ° mitiſſimum aeris motum, ″″ procellam vehementiſſimam indicat.

O. Poſt N. W. & S. W. cum ſubſequente per interualla W. alterni. Rurſus ex W. reeuertuntur flabra ad N: poſt aliquot dies redeunt ad S. O: dein S. W. cum N. O. mutuo flatu ad finem.

Pauciſſimi dies ſereni. Poſt tempus nubilo ſerenum, d. 4. fulmina cum pluuia copioſa. Mixta dein tempeſtas obtinet, magis obſcura, interſperſis pluries pluuiis. A die 10 quaedam induciae, raro tamen ſerenae. D. 17 rurſus pluuia. Inde a poſtero die ſimpliciter mixta tempeſtas. A die 24. obſcure nubilum coelum, ſubinde pluuioſum.

M. Aug. Barom.) S. A. (29, 70) M.A. (29,29.
Therm.) (82-89.) (60-58.

Mitia ventorum flabra, non vtra " euecta. Regnat per totum fere menſem S. W. Die 12-18. S. W. & N. W. alternis vicibus. A die 22. S. O. & S, ſequenti die ſuccedit N. W, poſtero rurſus S. O, poſtridie N: Inde rurſus S. W.

Coelum per totum menſem fere ſemper obſcurum, nubibus tectum, & frequentes pluuiae. Vix dies vnus & alter per interualla ſerenus. D. 5. & 9. tonitrua, ſed mitiora & vltima anni.

M.

M. Sept. Barom.) S. A. (30, 00) M. A. (29,21.
Therm.) (75-79.) (55-54.

Primum imperium penes N. W: inde a d. 4. diuiſum boreas cum Euro imperium habet. Solus dein d. 8. Eurus: d. 11. viciſſim cum Euro regit Aquilo: d. 16. rurſus S. O, quem d. 21 ad finem usque menſis excipit S. W. Mitius ventorum regnum, vix vltra ′ aſcendit, ſaltem ″ non excedit.

Eadem primis diebus coeli temperies, quae prioris menſis fine. D. 5. ad 9, poſt nubila, coelum ſerenum; inde ad d. 19 mixta ex nubilo & ſereno eſt tempeſtas. Abhinc rurſus obſcura, pluuioſa, per omnem fere decurſum nubila.

M. Oct. Barom.) S. A. (29, 94) M.A. (28,60.
Therm.) ſub init. (73-76.) (44-42.

D. 3. ſuccedit N. W′-″ mox S. O′, d. 6. rurſus S. W′-″, quem d. 8 excepit S″ & eadem die W‴-⁗. Sequuntur mutuo S. O′. S. W′. N. W′. Poſt, d. 15. N′. Noua viciſſitudo S. W °-″ N. W′-‴ W′. S. W°-‴. Die 30 N′. & N. O′ ad finem.

Tempeſtas varia. Incipit nubila, per interualla ſerena. A d. 6 obſcura, nubila, admodum pluuioſa, raro nebuloſa, ſub finem mixta.

M

M. Nov. Barom.) S.A. (29,93.) M. A. (28,71.
Therm.) (56-58.) (32-28.

Sub initium S. W. °-‴ d. 9. S. O °-′ a d. 13 ad 26 mutuo regnant S. W & N. W °-″. Dein alterni N.-N. O. S. O. °-′.

Menſis primordia obſcura cum niue & pluuiis. D. 5-16 obſcura, nubila, interdum nebuloſa tempeſtas, cum raro interuallo ſereno, Hinc rurſus, per viciſſitudines, multum pluuioſa. D. 25, poſt niuem, biduum pluuioſa, ſine varie obſcuro.

M. Dec. Barom.) S. A. (29,83.) M. A. (28,54.
Therm.) (48-56.) (35-31.

Venti inconſtantes, varii. Obtinet primis diebus S. W.′-‴. Die 4 W″ N. W″, mox ſubſequente S′ & ſtatim O′, quem d. 6. excipit N′-″. Abhinc fere per omne reliquum tempus S. W′-″, denique N. W′ & S. W′-‴.

Auſpicia obſcura, perquam pluuioſa. Die 6, poſt niues, induciae obſcurae. D. 9-11. tempeſtas niuoſa. Nubilam d. 17-23. obſcura ſequitur, pluuiis & niue intercalaribus. Poſt, dies reliqui nubili, pluuia rariori, ſine niue decurrunt.

M. Ian.

M. Ian. Barom.) S. A. (30,27.) M. A. (28,82.
1761. Therm.) (50-53.) (20-14.

Venti vtplurimum intra °-″ ſubſiſtunt. Auſpicatur S. W: d. 6. ſuccedit N. W. Abhinc cum prioribus alterni N. O. & S. O. Poſterior demum a die 20 ſolus ad finem.

Initium obſcurum, pluuiis & aliquoties nebulis diſtinctum, raro ſerenum. D. 12. ſuccedit tempeſtas niuoſa, per interualla ſerena & rurſus obſcura. Poſt d. 19. pluuiis & niue expers decurrit, ſubinde obſcura, ceterum mixta.

M. Febr. Barom.) S. A. (30,20) M. A. (29,08.
Therm.) (53-55.) (31-29.

Per totum fere menſem laxioribus habenis fremunt venti, ex W. & huic vicinis combinati, vario furoris diſcrimine ′-″″.

Coelum rariſſime ſerenum. Ad medium menſem vsque varia viciſſitudo, frequens pluuia, & per interualla multae niues. Poſtea ſubinde pluuiae.

M. Mart. Barom.) S. A. (30,09) M. A. (29,11.
Therm.) (60-64.) (41-39.

Primum alterni N. W. & S. W. ′-″′ obtinent. Die 9. N. & O′. Porro S. O′ cum N′ mutuo flatu. Sequitur d. 21 S. W′: poſt ali-

quot dies rurſus S. O′-″ cum N. O.′ alternatim.

Minus nubila tempeſtas, ac priori menſe, ſub initium parum pluuioſa: dein ſparſim tantum pluiae & ſemel nebula.

M. April. Barom.)	S.A.	(30,11.)	M.A.	(28,93.
Therm.)		(70-73.)		(42-40.

Primum N. O′, fauonijs″-‴ ſemel interceptus. Poſt, d. 5. S. O.′-″: d. 10 N. W′-‴ Abhinc S. W′-″ & N. W′. alterni. Miſcentur dein flabra N°. S. O.′ N. W.′ A die 22, N. & N. O′-″ obtinent. Abſoluunt reliquum ſpatium O′ N. W. & S. W′-″.

Initia mixta ſequitur frons coeli ſerena: poſt diem 9 pluuia, grando, niues. Reliqua tempeſtas, nubilo ſerena, d. 21 ſemel tonitru, eoque primo, intercipitur.

M. Maio Barom.)	S. A.	(29,91.)	M.A.	(29,14.
Therm.)		(81-85.)		(52-48.

Incipit S. W′-″ cum mutuo N W qui a die 4 ſolus °-′, 8vo veritur ad S. O °-′ & O °. Rurſus N. W′-″ & S. W °-″ alternis d. 14 ſuccedit N. W. °-″ ſolus. Mutuo a die 17 flatu ſpirantes S. O °- & S. W °-‴ excipit d. 26 N. O °-′. Finiunt demum O′-″ & S °.

Coe-

Coelum raro ſerenum. Sub initium mixta tempeſtas, cum rara pluuia. d. 10. inite cum pluuia tonitru: poſthac tempus nubilum eſt, d. 13 pluuioſum, cum ſubſequente per omnem fere menſem obſcura coeli fronte, ſparſis ſubinde a die 17 pluuiis. Poſt diem 21 rariorem pluuiam d. 23. 26. 27. frequens cum fulguribus tonitru, aliquoties ſiccum, compenſat.

M. Iun. Barom.) S. A. (29,79.) M.A. (29, 21.
Therm.) (84-85.) (45-53.

Blanda ventorum flabra vtplurimum infra′-″ acquieſcunt. Continuatus S ° -′ poſt ſe trahit N. W′-″ S. O′ & S. W′. Inde a die 3 mitis N. O, poſt 6tum N. W′-″ d. 11 redit. Mox ſequuntur S. O, S. W. & N W ° -′ alterni. D. 21 - 25 N ° -″ ſolus occupat. Abhinc ſeriem faciunt S. O ° -′ N. O ° -″, cum ſolo demum O ° -′, a d. 29 ad 3tium ſequioris menſis protracto.

Fiunt auſpicia ex obſcura coeli fronte, inter fulgura vehementia cum tonitru & pluviis. Nubilam tempeſtatem dein d. 7. iterum excipiunt pluuiae frequentes & d. 12. 14. 15. tonitrua. Sequitur oſcura temperies, ſubinde pluuioſa: poſt d. 20 mixta ſenſim ſerena, d. 23. & 28. tonitru intercepta, ad finem decurrit.

M. Iul. Barom.) S.A. (29,79.) M. A. (29, 27.
Therm.) (85-86.) (61-60.

Poſt N. W′-″ d. 6 ſuccedit S. W′-″; cum illo eodem impetu per omnem menſis decurſum alternus.

Mixta initia ſicca cum tonitru poſt d. 3. tranſeunt in tempeſtatem pluuioſam, a d. 6. nubilam & obſcuram viciſſim, quae d. 12 tonitru cum pluuia copioſa intercipitur, vdisque d. 18. 24. 25. interuallis d. 26. adiungitur tonitru. Solo d. 28. obtinet ſudum, ſubſequitur varius menſis finis.

M. Aug. Barom.) S.A. (29, 90.) M.A. (29, 33.
Therm.) (84-86.) (62-61.

Mite eſt ventorum regnum. Auſpicanti N. W°-′ per interualla ſuccedunt O & S. O. Elapſo die 10 ſequuntur N. O. cum S. O °-′ S. W.′-″ & S °-″. Poſtea a d. 17. N. W °-″ N. O °-″ & S. W. °-′ regnant alterni. Redux d. 29. O °-′ cum ſubſequente N. W °-″ agmen tandem claudunt.

Captis initiis vdis, cum varia coeli fronte, raro ſerena, interſperſis aliquoties pluuiis, menſis decurrit. Diem 16 diſtinguit tonitru cum pluuia copioſa. Viciſſim d. 24 fulgura

fulgura notantur abſque tonitru: & d. 28 coelum tonat cum denſi nimbi lapſu.

M. Sept. Barom.) S.A. (29,88.) M.A. (29, 24.
Therm.) (83-87.) (54-52.

Protractum ex praec. menſe N. W ° -/ mox abrogat Aquilo ° -/, cui d. 4. ſubiungitur S. W ° -// ad diem 21 perſiſtens, intercepto tamen, d. 6 per N ° -/, & d. 19 per N. & O ° -/, intercalares ejus imperio. Sequitur cum vicinis N. O ° /, quem cedentem d. 26 excipit O ° -//, cum ſubſequente demum d. 30. N. ° /.

Varia ſub initium frons coeli d. 7 ſerena fit: d. 10 poſt fulgura ſine fulmine, rurſus obſcura. Miſcentur dein nubilis, obſcuris & nebuloſis ſerena interualla rariora. Poſt vltimum die 11, cum pluuia, anni tonitru, ſequuntur die 13, nebula denſa, & d. 14. 16. 19. 30 pluuioſa tempeſtas.

* Praeter neceſſitatem ſuperior tabula ad menſem vsque Septembrem anni 1761 deducta eſt. Sed gratam lectori operam feciſſe putamus, quoniam in *diſſert. Ill.* Hensleri *de morbo varioloſo* (pag. 19.) a menſe Octobri ſtatus aëris deſcribitur. Ita ſine hiatu tabula a menſe Iulio 1760 vsque ad menſem Maium 1762. continuatur, cum morborum notitia.

IV.

Conſtitutionis epidemicae ſingularis ratio; cum morbis cognatis & coaeuis, inde a Menſe Iulio 1760 ad hiemem 1761 - 62 vsque.

Iam medio Ivlio 1760, *febres intermittentes*, modo benignae & regulares, modo malignitate ſtipatae & larua continuarum tectae, notabantur.

Longe frequentiores atque maiori vehementia graſſabantur menſe avgvsto, ſimplices, duplices, febres praecipue ex intermittente continuae & potiſſimum quotidianae malignae, diuerſimodo ſolutae. Aliae praeterea vario modo irregulares, quotidianae, tertianae, interdum adeo rebelles, vt nec ipſo ſpecifico domari potuerint. Haud raro tranſierunt in morbos lentos, aliquoties in hydropem lethalem. Satis frequens *hydrops*, maxime inter vetulas, ex morbo chronico praegreſſo. Paſſim *dyſenteria* caput extulit, ſed ſporadice tantum & mitior. Frequentia etiam tormina & alui profluuium ipſis febribus intermittentibus iuncta fuerunt. Multi etiam vel ſine febre memorabili, vel cum ſola ephemera, *colicis doloribus*, iisque paſſim diriſſimis, vexabantur. Subſequente

Septem-

Septembri *inter infantes* frequens fuit *tuſſis* ſicca abdominalis, *ferina, cum diarrhoea mucoſa*. Interdum iungebantur ſputum cruentum, dolor in thorace, & praecordiorum oppreſſio, quin excrementa ſanguine tincta. Vlcera & ſcabies ſemper ante morbum exaruerunt. Continuatur intermittens. Semel etiam ſub initium menſis tertiana regularis critico modo peripneumoniam malignam excepit; & in aliis dentium dolores intermittenti adiungebantur. Poſtea ſucceſſiue, inter rariores intermittentes, increuit dyſenteria ferocior & latius indies diſperſa, ex praegraeſſa per aliquot hebdomades diarrhoea, vel in infantibus ex ſimulacris catarrhalibus faucium & tuſſi incipiens, & in ſequiorem menſem protracta.

Porro menſe octobri vna vel altera *ephemera* plurium dierum, tumore labii oris & odontalgia, vel relapſu in aliam diariam ſoluta, quae typum hemitritaeum non obſcure expreſſit. Inprimis hoc menſe inter infantes lactentes multum ſaeuiit *intertrigo* quaedam, fere vniuerſum corpus occupans, *cum exulcerationibus cutis*, praecipue in regione oſſium iſchii. Aliis infantibus iunioribus *ſcabies* fuit *lethalis* per tuſſim ferinam, ſpaſmum maxillae inferioris & epilepſiam. Plurimos hoc menſe trucidauit malum dyſentericum, etiam dudum decumbentes.

Sequenti menſe NOVEMBRI, frequens adhuc *intertrigo cum aphthis* in lingua, & exulcerationibus in regione oſſium iſchii. Pergit hydrops. Phthiſi etiam pulmonali ſeſe aſſociant veſiculae paruae aphthodes in ore & faucibus; tumor pedum hydropicus, diarrhoea continua, facies hippocratica. Senſim euaneſcit hoc menſe *epidemia dyſenterica*, vel potius tranſitu facto, *degenerat* in epidemiam *mucoſam*. Verſus menſis finem iam multum *verminant* aegri. Plurimi tamen levius habent, atque perpauci ſuccumbunt. Vna vel altera *acuta ſoporoſa* eodem menſe notata fuit, indolis mucoſae particeps.

Sub finem anni iam latius diuagatur mucoſum epidemicum, multosque interimit; morbis chronicis etiam ſeſe adſociat & ſui characterem ipſis imprimit. Hydrops non nullis hoc menſe fatalis fuit. Semel *febrem abortiuam* acutam obſeruauimus. Infantibus intertrigo & capitis achores adhuc infeſti, junctis torminibus & borborygmis. Semel quoque *phthiſis infantilis vlceroſa externa* lethalis obſeruata fuit, cum pedum tumore oedematoſo, ophthalmia ſeroſa, pediculis, vermibus inteſtinorum, diarrhoea demum ſanguinea & prolapſu ani.

Primus anni 1761 *menſis* magis fauet funeſto malo mucoſo. Exaſperatur verminoſum.

Frequens

Frequens etiam ſymptoma eſt *gingiuarum dolor cum aphtis.* Folliculi mucoſi ventriculi & inteſtinorum eleganter conſpicui ſunt in cadaueribus; hepar acinoſum; ſuperficies inteſtinorum craſſorum eſcharis tegitur, vt in dyſentericis. Ipſa inteſtinorum ſubſtantia craſſa deprehenditur, & propter inflammationem plane ſingularem, villoſae inprimis, per reliquas tunicas transparentem, colorem coeruleſcentem inteſtina referunt. Febris mucoſa acuta interdum cum typo hemitritaeo decurrit: haud raro in ſpeciem malignam *bilioſam vel putridam* adſcendit, praecipue in noſocomio caſtrenſi. * Semel hoc menſe *intertriginem gangraenoſam*, hydropi & vermibus iunctam, notauimus. Aliquoties obſeruata eſt *ophthalmia grauis, ſeroſa, cum gingiuarum dolore & vacillantibus dentibus:* ſemel *rhachitis cum phthiſi abdominali,* glandularum lymphaticarum ſcirrhis & copioſis *vermibus* inteſtinorum. Generatim infantes rhachitici peius habuerunt. Multos etiam *infantes* nunc adoritur *febris mucoſa lenta;*

 ita

* Similis fere morbi facies fuit in vicinia: magis tamen biloſus paſſim erat morbus, rarioribus vermibus iunctis. Valde etiam saeuiit ſimili ſymptomatum tramite Caſſellis, in celebri potiſſimum noſocomio caſtrenſi.

ita vt primi euadant, ſequiores fere omnes ſuccumbant.

Menſe FEBRVARIO *febris mucoſae saeuitia* perquam augetur; interdum relapſu critico tranſit in morbum inflammatorium benignum. Plurimos tamen trucidat, tum gangraena abdominali, tum metaſtaſi ſcirrhoſa vel purulenta in pulmones & alia viſcera. *Admodum verminat* in noſocomiis; ſaepe etiam *in bilioſam, quin putridam vertitur*. Rariores nunc apparent ſolliculi; frequentior lien magnus & alia inflammationis abdominalis ſigna ſe produnt. Delentur quoque hepatis acini. Aliquando morbus mucoſus tranſit in ophthalmiam. Infantes praecipue infeſtat *febris verminoſa lenta, omnibus fere* poſt vnum alterumue menſem *lethalis*.

Subſequente MARTIO *morbus mucoſus in petechizantem euehitur*, iunctis deliriis furioſis & ſoporibus. Soluitur interdum mucoſum & aphthoſum per criſin in ſanguinis gelatinam. Subinde *multum imflammatorii* cum morbo mucoſo combinatur. In cadaueribus inflammationes gangraenoſae, cordisque polypi ſunt frequentes. Graſſatur nunc *icterus*, in quem non raro morbus mucoſus critico modo tranſit.

Menſe

Menſe APRILI mucoſum & verminoſum praecipue inter infantes adhuc obtinent & multos lento modo iugulant. Icteri epidemia creſcit. Circa hoc temporis *copioſae rurſus intermittentes* vernales occurrunt, variae indolis, vtplurimum tamen benignae.

Subſequente MAIO *febris mucoſa*, eademque recidiua, *in veram intermittentem tranſit*. Subinde inter ſimulacra pleuritica primum ſtadium decurrit, & tota febris typum hemitritaeum aemulatur.

AESTATE demum ſucceſſiue *euaneſcit epidemia mucoſa* & verminoſa, *tranſitu in aliam*, * tandem *varioloſam*, facto. Veſtigia tamen quaedam diu reſidua manent, tum in morborum decurſu, tum in cadaueribus. **

Appetente AVTVMNO *redit intermittentium* cohors; in vniuerſum vero peioris indolis ſunt, quam vernales; multoties *malignae*, ſoporoſae. Quaedam per largiores potus vinoſi hauſtus in veram putridam peſſimam degenerarunt. *Vna*, iam Auguſto exorta, *in phrenitidem* malignam longam, ad medium Octobrem protractam, *tranſit*. Subſe-

* cf. n. X. infra.

** vid. diſſ. de morbo varioloſo, pag. 20.

Subſequente HIEME 1761-62 *variolae*, & in noſocomio caſtrenſi, quin etiam paſſim per vrbem, *pleuritides & peripneumoniae* celebres fuere. Idem praeterea adhuc fuit abdominis ſtatus, ac priori hieme. Satis frequentes trichurides, lumbrici, inteſtinorum ſubſtantia craſſa, coeruleſcens, villoſa peculiari modo inflammata, tunica muſcularis in canali alimentari deterſa, vix conſpicua; quin quaedam adhuc folliculorum mucoſorum veſtigia nonnunquam fuerunt notata.

V.

Dyſenteriae & morbi mucoſi cognatio.

Congruunt quamplurima in vtroque morbo phaenomena. Laborant omnes ex abdomine, morbo nempe inteſtinorum proprio. Eadem vtriusque eſt origo ex intermittentium epidemia, eo ſaltem diſcrimine, quod dyſenteria genitricem proxime excipiat; morbus mucoſus ex dyſenteria naſcatur. Vtrinque quoque ſymptomatum analogia mutuam prodit ſimilitudinem. Vtplurimum incipiunt ex praegreſſa diarrhoea: vrgent in vtroque morbo nauſea, vomituritio, ſitis, borborigmi, frequens ad deſidendum ſtimulus, tormina ventris. Dyſenteriam

eriam aemulatur febris mucoſa deiectioni-
bus mucoſis, bilioſis, putridis, quin interdum inter tenesmos cruentis. Vtrimque primarum viarum ſaburra, bilis corrupta, & mira quaedam contentorum in inteſtinis obtinet acrimonia virulenta. Similis eſt ratio linguae, muco tectae, quin exulceratae, cum conſpicuis ſimul papillis. Subinde afficiuntur fauces, praecipue verſus mortem. Comitantur vtrumque morbum ſimulacra catarrhalia, pleuritica, praecordiorum anxietates, ſtatus ſoporoſus: ſubſiliunt tendines, conuelluntur demum artus. Verminat interdum & ipſa dyſenteria. Communis quoque eſt tranſitus in morbum lentum, multis nominibus analogum. Iisdem ſaepe criſibus ſoluitur vterque morbus: aemulatur ſubinde vterque genitricem intermittentem tumore oedematoſo pedum: pronus etiam eſt ad criſes mucoſas & vlceroſas, praecipue in regione oſſis ſacri & trochanterum. Saepenumero inflammantur inteſtina, interdum eroduntur, exulcerantur. Infeſta vtrique eſt gangraena interna. Haud raro criſis decumbit ad pulmones. Cadauerum ſaltem analoga eſt ratio quoad permulta phaenomena. Inflammata villoſa, eſcharae etiam gangraenoſae in ſuperficie interna craſſorum, hepatis liuores, pancreas durum, & infarctum pulmonum parenchyma, vtrobique occurrunt.

Arguit

Arguit denique vtriusque morbi affinitatem analoga medendi methodus.

VI.

Cognatio dyſenteriae & morbi mucoſi cum febribus intermittentibus.

Febrium abdominalium radix aeſtimari poteſt *febris intermittens*, ex qua omnes reliquae ad ipſas peſſimas malignas, tamquam corruptae & *degeneres proles*, progerminant. Omnibus vnus idemque fons communis, idemque exemplar eſſe videtur: ſed pro cauſſarum determinantium, maxime aëris, diuerſitate, modo intermittens ad regulam formata, modo quaeuis irregularis, modo alia quaelibet maligna, oritur *; quid? quod in ipſo decurſu, tum totius epidemiae, tum ſingulorum interdum indiuiduorum, ſaepius a priori tramite decedit & ſpeciem mutat.

Ipſa epidemia a nobis deſcribenda luculentiſſimo huius rei documento eſt; manifeſto enim ex praegreſſa intermittente originem traxit, licet morbi facies ab intermittentium indole adeo deflexerit, vt forma longe

* vid. PRAESID. progr. de febr. ex intermitt. contin. Gott. 760. p. 2. & p. 12. ſqq.

longe diuerſam putaueris, niſi tranſitu & tota ſerie, probe obſeruatis, quaelibet ſobolis ſpecies ſui originem prodidiſſet. Varia autem monſtrant, morbum dyſentericum eſſe degenerem intermittentis prolem; & prouti *dyſenteria febris intermittentis filia*, ita ſubſequens *epidemia mucoſa illius matris neptis*, quaſi ſalutari meretur. Graſſabantur enim praecedentibus menſibus, Auguſto praecipue & Septembri, verae intermittentes ad vsque ipſum epidemiae dyſentericae & ſequioris mucoſae ortum: quin ſub initium nouae conſtitutionis paſſim adhuc vna vel altera intermittens, vario modo iam deprauata, frequenti diarrhoea ſtipata, & a forma deflectens, tranſitum fecit. Manifeſta inprimis eſt febris intermittentis analogia cum morbo dyſenterico, ex obſeruatione non adeo infrequenti, qua tempore autumni cortice ſuperata intermittens, critico modo enata dyſenteria ſoluitur. * Eadem vtrique morbo

* Memorabilis eſt obſeruatio huc trahenda, quod hoc anno multi febre intermittente & dyſenteria ſimul laborarint, ſine vera intermittente dyſenterica. In vico vicino, (Mengershauſen), epidemice graſſata eſt febris intermittens ſola, vt quinque & vltra in eadem domo laborarent: in alio vico, paullo remotiori, montibus vicinis cincto, (Maentzen), eodem tempore

bo competit criſis imperfecta: nec plane infrequens eſt, dyſenteriam, tranſire in diarrhoeam chronicam, cum notabili pedum tumore oedematoſo. Febris intermittens qualiscumque praegreſſa, bene ſoluta, omnium praeſtantiſſimum contra dyſenteriam aeque ac febrem mucoſam fuit praeſidium. Immunes etiam ab vtroque morbo manſerunt, licet fructus horaeos immenſa copia deuorauerint, quibus nulla ad intermittentes diſpoſitio fuit, & quibus febriculae nocturnae magis fuerunt domeſticae. E contrario in praecipiti erant multum diſpoſiti ad concipiendas intermittentes. * Intermittens, licet dyſen-

pore ſola dyſenteria ſaeuiit multosque iugulauit: in alio denique vico inter priores medio, (Iühnde), vterque morbus rariſſimus fuit, & ſemel dyſenteria, poſt obortum frigus, critico modo in febrem intermittentem quotidianam fuit transmutata, Sub primo paroxysmo aliquot alui deiectiones cum torminibus notabantur: ſequentes paroxysmi frigore initiali carebant. Sub febris acceſſu leuis ardor in regione vmbilici & cordis palpitatio aderant. Mox ſingulos paroxysmos comitabatur ſudor profuſiſſimus per totam noctem protractus. Aluus per plures dies conſtipata erat.

* Dyſenteriae cum febre intermittente analogiam ulterius illuſtrant pericula Cl. SAALMANNI,

dyſenteria ſubinde ſoluatur, nunquam tamen in morbum mucoſum, ſeriorem videlicet, tranſiit. Viciſſim raro in caſu dyſenteria, congruis tempeſtate & remediis, critico modo ad intermittentis indolem rediit: idem & ratione morbi mucoſi appetente demum vere contigit. Quibus in locis, rara occurrit intermittens, vt in montanis, Hercyniae &c. vtplurimum frequentiores ſunt dyſenteriae, eoque ſimul peiores.

Arcent quoque vtrumque morbum ſcabies & affectus cutanei, perinde ac febrem intermittentem, quibus affectibus monticolae multum ſunt obnoxii. Nec non maxima, ratione ſedis atque cauſſarum, matris cum vtraque ſobole eſt cognatio. Omnes ſunt ex claſſe morborum abdominalium: vtrobique concurrunt epidemicum ex aere, habitus quidam morboſus, viſcerum imi ventris connatus l. acquiſitus, collectae in primis viis impuritates, atque earumdem, hepatis im-

MANNI, egregii olim Praeſidis diſcipuli: qui in hac ipſa Epidemia Dyſenterica feliciſſime vſus eſt largioribus etiam doſibus Salis ammoniaci, notiſſimi in febribus intermittentibus ſpecifici. cf. Commercium inter Ill. WERLHOFIVM & Cl. SAALMANNVM, de dyſenteria 1761. Monaſt. Weſtph. 1762. 4. pag. 8. 13.

imprimis, obſtructio mucoſa. Maior autem miasmatis epidemici in canalem alimentarem eſt efficacia in malo dyſenterico, quam in reliquis. Diſtat etiam morbus dyſentericus & mucoſus ab intermittente maiori irritabilitatis primarum viarum gradu atque notabiliori bilis vitio. Porro febris mucoſa ab intermittente discrepat, quod maiorem muci vbertatem, peiores obſtructiones & muci ſtagnationes foueat, quam ſimplex intermittens: reliqua momenta ferme conueniunt.

Magnam inprimis morbi mucoſi conuenientiam ratione ſymptomatum deprehendimus cum febribus intermittentibus proxime praegreſſis & ſubſequutis. Peperit primarum viarum ſaburra in vtroque morbo nauſeam, vomitum, ſaporem peruerſum. Vtrique etiam familiaria fuerunt appetentia ciborum abolita; vomitus mucoſi, tum ſymptomatici, tum critici; frequentes alui deiectiones; praecordiorum anxietates; dolores pectoris pungentes; ſitis; lingua muco tecta; oris & gingiuarum affectiones; ardor interdum vrinae; atque morbi, per vlcuſcula labiorum oris, ſolutio &c. Maior ſymtomatum cognatio fuit in febre intermittente rebelli, corticem eludente: diarrhoea nempe copioſa eſt, ſpontanea, mucoſa cum torminibus,

minibus vehementibus, borborygmis, teneſmis; quin ipſe corticis vſus diarrhoeam ſuſcitauit: dolores adſunt abdominales; tuſſis rauca, ſicca, rebellis; ſitis; lingua mucoſa; tumores oedematoſi pedum & faciei; lumbrici aluo redditi; virium fractura. Quin ipſi ſopores & phrenitis febres intermittentes aliquoties ſunt comitati. Et vtrique morbo facilis in icterum tranſitus erat.

Prioribus aliae adhuc notae cognitionis morbi mucoſi cum febribus intermittentibus accedunt, ex febris atque totius epidemiae mucoſae decurſu petitae. Haud raro febris mucoſa intermittentium imaginem vtcumque typo hemitritaeo expreſſit. In nonnullis aegris, febre mucoſa ſoporoſa detentis, pulſus frequentia ad veram quandam febris intermiſſionem periodicam eſt delapſa. Magnam quoque analogiam ſemper notauimus inter febrem mucoſam perniciosam & febrem intermittentem, quae dicitur maligna; eademque multis nominibus vtriusque eſt relatio ad ſui generis febrem ſimplicem & benignam. Appropinquante vere, vitio illo, quod indolem intermittentis obfuſcauerat, ſenſim ſubacto, ipſa febris mucoſa critico modo in veram intermittentem fuit commutata. Et ſeneſcente demum epidemia mucoſa, jam primo vere rurſus verae febres in-

termittentes comparuerunt, atque eadem ratione, qua diuulgata fuit intermittens, febris mucoſae frequentia decreuit, donec demum prorſus ceſſauerit.

Febrem intermittentem generatim & reliquarum febrium abdominalium, quin peſſimarum malignarum foecundam matrem eſſe, ſupra iam dictum eſt. Admodum procliues ſunt, prae reliquis hominibus, ad concipiendas febres malignas, quibus ad febres intermittentes eſt diſpoſitio eminens. Poſtquam enim intermittens, inprimis male ſoluta aut intempeſtiue ſuppreſſa, iam aliquoties per interualla rediit; peſſima demum maligna, loco intermittentis conſuetae, ſolet accendi. Ipſa quoque febris intermittentis, autumnalis praecipue, indoles regularis, cauſſae externae impulſu, vt potu ſpirituoſo, eo interdum ſubuertitur & deprauatur, vt in peſſimam malignam, bilioſam vel putridam, tranſeat. Haud raro itaque eodem tempore, quo intermittens graſſatur, quidam ex vitio diaetae vel priuata quadam labe, in peſſimas malignas incidunt. Praeter ea, ſi curatius attendamus, in qualibet maligna aliquid intermittentis, vel typum quemdam hemitritaeum, notamus, tectae originis manifeſtum indicium. Tranſit intermittentium epidemia quolibet fere anno in varii generis malig-

malignas, quae rurſus cedunt, dum accedente vere indoles intermittentium reſuſcitatur. Virtute eximia, vtrobique ſpecifica, pollet corticis peruuiani vſus omni intermittentium proſapiae accommodatus, dummodo rite adhibeatur. Eſt enim remedium febrifugum praeſtantiſſimum, ſi tempore intercalari & ſub paroxyſmorum interuallis propinaueris: ſub ipſo autem febris impetu, & in omni febre ab intermittentium genio aliena; vtut etiam falſis ſimulacris veram intermittentem, praeter pulſum, prima ſpecie aemuletur; cane & angue magis fugiendus eſt cortex. Abſtinendum etiam a crudiori corticis vſu eſt, quo obſcuriora ſunt febris interualla, & quo magis haec intermittentium naturam exuit.

VII.

Morbi mucoſi cognatio cum ſcorbuto.

Nec minus luculenta ſunt indicia, quae alteram morbi mucoſi originem, veluti ex adulterio mali ſcorbutici deriuant; quocum nempe magna morbi mucoſi affinitas atque phaenomenorum eſt analogia. Huius generis inprimis ſunt aphthae oris, lingua & gingiuae tumidulae, dolentes, atque vlcera

aphthoſa; quibus omnibus ab indole intermittentis, ſui genitricis, longe diſcrepat. Scorbuticum etiam redolent tumor & dolor articulorum; quin aliquoties capſulas articulares, ſedulo perluſtratas, praecipue in glandularum Hauerſianarum ſede, vere inflammatas deprehendimus. Ex eiusdem vitii connubio ortum trahunt exanthemata petechialia & puris ichoroſi prouentus.

Magis ſcorbutici conſortium teſtatur vulnerum, quouis modo inflictorum, * vel in ipſo corpore apparenter ſano, difficilis conſolidatio. Non ſolum in noſocomiis, ſed in honoratioribus quoque, omni licet cura adhibita, durante hac epidemia mucoſa, vix vlla operatio chirurgica proſpere ſucceſſit; ſed ſemper aliquid aduerſi accidit. Eadem & aliorum vulnerum ratio eſt licet leuiſſima fuerint. Per magnetismum quaſi attrahunt epidemicum ex aere, breui temporis ſpatio perit laudabilis vulneris indoles, peruertuntur humores, ſuſcitatur ipſe morbus mucoſus, modo acutus, modo lentior; quilibet autem cum vulnere pernicioſus. Pus mali moris, crudum, tenue, acre fundunt vulnera, conglutinationem diu repudiant, aut quam facillime denuo dehiscunt. Ex grauitate

* vid. Sect. III. obſeru. de partu caeſareo.

uitate vulneris & citiſſima humorum colliquatione gangraena naſcitur atque corpus breui temporis ſpatio exhauritur, & ex leuioribus vulneribus vlcera ſaltem fiſtuloſa naſcuntur, quorum pure, tamquam fermento quodam laudabilis humorum miſcela ſoluitur & ita colliqueſcit, vt corpus, lenta conſumtione humoribus defraudatum & morbo confectum, demum ſuccumbat.

Eadem quoque fuit cauſſarum ratio, quae alias ſcorbutum excitant: tempeſtas nempe humida &, cum ligni defectu, aer frigidus; potus aquae impurae; exhalationes putridae; immundities, cum olerum & victus vegetabilis penuria. Praecipue in noſocomio caſtrenſi, praeter panem ſimilagineum, nihil ex regno vegetabili aegris, niſi hauſtulus vini; ſed ſolae carnes & ex iis parata iuſcula porrigebantur. Multi etiam prae moerore & torpore otio ſe dabant.

VIII.

Morbi mucoſi cauſſae.

Primariam morbi mucoſi *cauſſam*, *epidemicam* nempe *aeris conſtitutionem*, e longinquo repetendam eſſe, iam ex affinitate huius mali cum febribus intermittentibus, at-

que morbi mucoſi aeque, ac dyſenteriae praegreſſae, ex communi radice, origine, per ſe liquet. Longo interdum, ſimplici licet, apparatu natura vtitur, & eminus quaſi corpora diſponit, antequam ſuſpicari nobis liceat, quorſum tendat. Ex eodem fonte epidemico primi febris intermittentis, mali dyſenterici, morbique mucoſi riuuli fluunt. Idem procul dubio vitium epidemicum morborum quamdam ſeriem trahit, quorum diuerſae notae a cauſſarum iunctarum diuerſa virtute finguntur. Forſan etiam ipſum illud epidemicum incognitum per diu protractas cauſſas phyſicas, inter quas aer procul dubio eminet, ita mutatur, vt varios effectus edat. Forſan vtrumque accidit.

Vniuerſalium cauſſarum altera referri poteſt ad *tempeſtatem humidam.* Inde enim a menſe Iulio ad vsque epidemiae mucoſae natiuitatem raro coelum ſerenum fuit, vtplurimum nubilum, obſcurum, pluuioſum. Aliquoties etiam eurus & aquilo, Septembri inprimis, ſymbolam ſuam contulerunt. Suppreſſo itaque transpirationis negotio, per commercium imi ventris cum cute, & alterius ad alterum relatione, non potuit non abdomen affici & ad huius generis morbos diſponi. Succeſſit deinceps & *humida hiems.* Praeter notabiles caloris & frigoris viciſſitudines

dines vitium procul dubio aeſtati prouectiori proprium dyſenteriam facit; ſiquidem aliis anni temporibus ſimiles viciſſitudines dyſenteriam non excitant. Cum primum tempeſtas brumalis dyſenteriae minus fauet, epidemicum dyſentericum, niſi penitus deſtruatur, ſaltem infringitur & indole mutatur. Eſt itaque actio compoſita ex epidemico dyſenterico & tempeſtate oppido ſcorbutica, cum reliquarum cauſſarum adminiculo, ex qua ſequentes morbi procreantur: ſubinde vero epidemia ſequior per tranſitum quemdam alius morbi deriuatm quod & in noſtra epidemia ſenſim degenere ſemper notatum eſt. Pergit etiam illa ſequior epidemia, donec mutata aeris temperies nouusque cauſſarum apparatus ita ſpeciem mutent, quin totam, per lentum virtutis lapſum deſtruant, vt vel in noua epidemia ſera adhuc eius veſtigia appareant. Memorabile epidemia, quam deſcribimus, mucoſa, exemplum eſt.

Qui ex *viſcerum* vitio *varia valetudine chronica*, ſine ſalubri febricularum nocturnarum criſi, frequentes laborarunt; praecipue qui *ad febres intermittentes* indeque natos morbos *proniores* erant, mucoſum morbum facilius admittebant, ita vt primi decumbentes fere omnes priuati iſtius habitus conſcios ſe confiterentur. Quaenam vero

momenta iſtum corporis habitum faciant, an ſimpliciter torpor quidam viſcerum imi ventris, labes quaedam hepatis? an aliquid priuati in intimis neruorum receſſibus? de eo non ſatis conſtat. Multis iſta diſpoſitio fuit naturalis: alii illius hactenus expertes, ex diu protractis cauſſis occaſionalibus variis, vel praegreſſo quodam morbo, eumdem tandem habitum contraxerunt. Hinc in epidemiae decurſu multos, acquiſito demum habitu corporis ad morbum disponente, inuaſit epidemicum malum, quibus numquam antea febris intermittens aut alius morbus congener contigerat.

Cauſſarum occaſionalium ingentem turbam enumerare, nimis prolixum foret. Exponam igitur quae prae reliquis efficacia eminent. Principem locum inter remotiores merentur peſſimi tunc temporis *diaetae errores*. Calamitate enim bellica preſſi incolae, aerumnis obruti, copiis & lixis gallicis, numero ſaltem 8000 in vrbe collocatis, adeo coarctabantur, vt miſeram inopemque vitam colentes, ſaepius omnem ſui curam negligerent. Veſcebantur, quo poterant, victu aſpero, tenui, farinoſo, facile parabili, & ſi ita loqui fas ſit, extemporali. Proletariorum plurimi egeſtate ad incitas redacti, ſolo fere ſolano eſculento alioque victus

ctus craſſi & obſtruentis genere vtcumque ſeſe exſatiabant: quin honoratioribus interdum nec egregia nimis, nec conſueta parabantur fercula, iis inprimis menſibus, Nouembri ac Decembri, quibus, animus meminiſſe calamitatum horret! vrbs copiis cincta & occluſa tenebatur. Diſpenſabantur militi praeſidiario carnes, ob ſalis penuriam, male conditae, putreſcentes ſordidae, non raro coeno conſpurcatae. Nec triſtem illam ſortem, fere vniuerſalem, ciues ſemper eluctari poterant: niſi enim eſurire vellent, famem depellere carnibus corruptis cogebantur. Rara quoque obſonia & ſalubris victus vegetabilis, velut bellaria quaedam diuitum aeſtimabantur. Largiori hauſtu miſera plebs, quamdiu ſuppeditabat, vinum ſublimatum vilioris notae, quo pellerent edaces aerumnas, ingurgitauit. Cereuiſia, in tali reum anguſtia non amplius parabili, diu carebant incolae omnes ac ſinguli, & ne haec calamitas ſola eſſet, ſuperſtes pro reſtinguenda ſiti aqua pluuiis turbida atque collectis ſordibus impraegnata erat. Obſcenae enim & ſtercoroſae aquae, ex magnis poſticulorum poſt ſingulas domos fimetis, in immenſos aceruos faſtigiatis, & collectis ibidem circa fontes priuatos ex fimetis volutabris, in terram ſenſim depluentes, fontes con-

conſpurcarunt. Nec ſordes expurgare, iumentorum defectu, licebat.

Stratae equorum ſtercoribus (numeroſus erat miles equeſtris) viae publicae vtrinque ſepiebantur excrementis humanis, in omni platearum angulo & receſſu ita exaggeratis, vt commune ſterquilinium referrent. Quare ex tanta ſparſi lotii & ſtercorum, copioſa pluuia colliquefactorum, ſuperficie oppido maior vis exhalationum adſcendebat, quam ſi in latrinas ſtercora fuiſſent collecta. Circa penuaria & horrea caſtrenſia atque in itineribus vrbis celebrioribus ſparſi foeni ſtraminisque contriti & putridi copia, veluti late expanſum ſimetum conſtituit. In viis publicis prope vrbem diſſeminata equorum cadauera mephitim acuebant. Multis adeoque aer, multa iam humiditate vappidus, variique generis exhalationibus immundis inquinatus, in peſtiferum contagiorum vehiculum degenerauit. Vt militi, hoſpiti nunc primario, cederent, multi incolarum in coeno & tenebris voluebantur.

Ligni inopia indies inualeſcente, plures algebant pauperes, in latibula aedium frigida, tenebricoſa & humida extruſi, victu coctiuo carentes. Incolarum reliqui emtis praecario a milite hoſte ligni farcinulis & mani-

manipulis, vtcumque foco proſpiciebant. Lucrum facit, quod poteſt, praeſidiarius miles; fouetur deſtructis ex induſtria tiguriis & aedificiis: & quibus ipſe non eget, ligna ciuibus vendit. Exſul illa plebecula latebras accenſis prunis, vtcumque dum calefacere ſtudet, tetris vaporibus replet, torpidaque membra relaxat.

Conſtipati etiam cum milite in anguſta & conſpurcata habitacula aliorum coetus, & inde in aere incluſo collecti vapores, calefactis vltra modum cubiculis, aeris ſalutarem indolem & elaterem ita eneruarunt, vt contagium lubenter foueret. Locuples morboſi ſeminii promtuarium erat noſocomium caſtrenſe, magna ſemper aegrotantium frequentia ſtipatum neque ventilatore munitum. Sedulo potius opera nauabatur, quo minus cum aere infecto ſimul per rimam quamdam elaberetur calor. Nec per vrbem defuit aegrotantium celebritas, & multae, pauperum potiſſimum, domus, totidem fere noſodochiorum aerumnas complectebantur.

Aliae cauſſarum occaſionalium corpus ad morbum praeparatum, facto veluti vltimo impulſu, demum proſternunt. Sunt vehementiores animi affectus, ira, terror, moeror, &c. quibus morbum hactenus laten-

tentem, febris ſaltem expertem, ſubito accenſum aut exaſperatum, aliquoties notauimus. Porro commercium cum aegrotis morbum ſaepenumero cum aliis communicauit. Hinc pleroſque ſenſim eiusdem domus incolas inuaſit, & ſubinde, ſi quis alteri decumbenti aliquamdiu adſtiterat, contagium ex vna domo in alteram transtulit. In noſocomio caſtrenſi aegrotantium omnes ac ſinguli, ex quocunque morbo etiam laborauerint, morbi epidemici miasmate polluebantur: & per medentium, adminiſtrorum, viſentium cum aliis commercium latius indies morbus per vrbem diffundebatur. Si quis forſan illa tempeſtate cum chronico quodam morbo, praecipue abdominali, conflictaretur, diffuſum miasma, tanquam fomite quodam in viſceribus nato, attraxit in maiorem ipſius morbi perniciem. Vulnera etiam, tum recentia, tnm antiqua, hauſtum ſimili virtute virus cum maſſa humorum communicarunt.

Velut in omni morbo, ita pariter in mucoſo, collectae & diu protractae cauſſae occaſionales veram demum disponentem produxerunt. Per concurſum plurium cauſſarum factum eſt, vt ſordidae & vilioris conditionis homines longe faciliores morbo prehenderentur, & in omnes ſenſim domeſti-

meſticos malum graſſaretur. Solum miasma ſine aculeo eſt in corpore inepto & in cauſſarum occaſionalium parſimonia. Horum expertes, velut nos ipſi, a morbo immunes manſere, licet quotidie inter aegros & defunctorum cadauera fuerint verſati.

IX.

Morbi mucoſi natura & formae.

Tranſitus febrium intermittentium in epidemiam dyſentericam, atque huius deinceps in morbum mucoſum, facile cuilibet perſuadet, morbo mucoſo aliquam cum illis eſſe analogiam; licet ipſius imaginis particulae ſucceſſu temporis detergantur. Symptomata morbi eſſentialia, & viſa in diſſectis cadaueribus phaenomena, naturam & characteres morbi vlterius manifeſtant, cum ſucceſſiuis formis & in alias epidemias lapſibus.

Vberior quidem in cunctis folliculis *muci ſecretio* in hoc morbo obſeruatur, quae vero in canalem alimentarem, debiliorem videlicet ex variis (conf. num. praec.) cauſſis & magis irrritabilem, prae reliquis congeritur. Hinc non ſolum ventriculi & inteſtinorum, tenuium inprimis, faciem internam

obueſtit

obueſtit magna vis muci viſcidi, ſpiſſi, tenacis; aegre abſtergendi, ſed ſubtus etiam conſpiciuntur folliculi, muco ſtagnante pleni, innumeri, diſſeminati, in totidem capitula eleuati. Saepius in conſpectum veniunt iſtae muci lacunae in ventriculo & duodeno; * rarius in reliquo tenuium tractu; raro etiam in aſpera arteria & vteri vagina. Vix in ventriculo & tenui inteſtino corporis ſani folliculi iſti ſine arte deteguntur: in reliquis canalibus, licet foraminula quaedam conſpiciantur, ipſi tamen folliculi muco turgere non ſolent. Totum *hepatis parenchyma* ſemper diſtincte *acinoſum eſt.*** Neque illi acini in corpore ſano conſpiciuntur, ſed homogeneum vbiuis hepatis eſt parenchyma; quo autem vitiato, non poteſt non ſecretio bilis ſimul deprauari & in mucoſo morbo peruerti. Praecipue virtus eius ſaponacea admiſto muco corrumpi videtur, iners, blanda nimis atque inſipida fieri. Similia ceterum mala inducit, quae bilis penuria. Pancreas etiam non ſine vitio eſt. Vbi haec vitia occurrunt, *morbus* ſimpliciter eſt *mucoſus.*

Ab *aere* in canalem alimentarem nati ho-

* vid. icones ventriculi & duodeni. Tab. I. & II.

** vid. icon. de hepatis acinis. Tab. III. fig. 1.

hominis libere *admiſſo* peccantes humores agitantur, & vlterius peruertuntur; nouam etiam corruptelam male, in morboſo ventriculo, cocti cibi addunt. Ita ſentina paratur, vermibus fouendis, nutriendis, augendis, aptiſſima; & adultus *morbus* fit *verminoſus*.

Quum ad generationem vermium non ſola matrix vel nidus, ſed liberior aeris acceſſus requiratur; manifeſtum eſt, hunc morbum ſimpliciter ſine vermibus mucoſum eſſe, quamdiu omnis aeri in canalem alimentarem acceſſus denegatur. Vidimus etiam feminas vtero gerentes laboraſſe morbo mucoſo, cum vermibus vtriusque generis; foetum autem ſimpliciter mucoſo puro, licet ſatis manifeſto. Si vnquam; ſane in foetu, cuius mater morbum epidemicum, vermium abundantem, cum ipſo foetu in vtero communicauit, & quae ipſa hoc morbo ſuccubuit, vermes connatos exſpectaueris: ſed fruſtra. * Vix itaque connatus in foetu dari vermes Hippocrati ** credimus.

Vberioris, tenuioris, acrioris atque morboſae *bilis* in primas vias *congeſ*[illegible] puriorem morbi

* vid. Sectio III. diſſectio puerperae & foetus recens nati.
** cf. Hippocr. de morbis Libr. IV. Sect. V. lin. 18. ſqq.

morbi indolem mutat. Parciori ſimul muco, ac in morbo mucoſo puriori, ſimulque tenuiori, & minus tenaci, affluit canalis alimentaris; adeoque ab acrimonia rodente minus munitur. Confluit vtique in hac etiam ſpecie morbi vberior in primas vias mucus, ac in corpore ſano: ſed ea lege abundat bilis, vt canalis alimentaris pars, ductu choledocho ſuperior, muco; altera inferior, copioſa bile, mucum ſuperante, conſpurcetur. Eſt itaque quaedam huius morbi ad partes relatio: quoad ventriculum enim, partemque duodeni priorem, *morbus* eſt mucoſus; quoad reliqua inteſtina *ex bilioſa & mucoſo compoſitus*. Hoc quidem bilis vitium ſine notabili putredine eſt, quod tamen, aucta per gradus corruptela, ſub morbi finem, quum hic in perniciem tendit, morbi putridi naturae propius eſt.

Sicubi vero maior corruptelae vis eſt, & *bilis* natura, inde ab initio morbi, vel ſub incrementum, ita peruertitur, vt, in primis viis *veram putredinem* concipiat, qua nerui opprimuntur, & humores ad εκλυσιν ruunt: mucoſa morbi indoles ſenſim, cum hepatis acinis & folliculis mucoſis omnibus ac ſingulis, maximam partem euaneſcit, deſtruitur vermium nidus, & pauci, qui reſidui manent, flaccidi & emaciati conteruntur;

tur; atque *ex putrida & mucoſa indole morbus* componitur.

Sub incrementum tamquam ſymptoma acceſſorium, ſatisque blandum, quin aliquoties criticum & aegro ſalutare, *inflammatoria indoles* iungebatur: epidemia vero ſeneſcente frequentior, conſtantior, & quodammodo eſſentialis facta eſt. Multum tunc temporis morbi indoles mucoſa decreuit, & iam eo ventum erat, vt vitium a fluido mucoſo per tranſitum quemdam ad nobilius fluidum, gelatinoſum, transferretur. Minuebantur ſenſim muci atque bilis ſecretio & congeſtio, ea quidem ratione, vt nobilioris fluidi, gelatinoſi, ſeparationi acceſſiſſet, quod illis ſubtrahebatur vitii. Quum autem per epidemiae naturam multum adhuc tum fureret indoles putrida, *morbus* quidem inflammatorius fiebat, ſed maligno modo, *ex inflammatorio, reſolutorio* (ſit venia vocibus) *& quibusdam mucoſi veſtigiis reſiduis mixtus.* Tunc praecipue ſiccitas peluis, cum pertinaci interdum alui obſtructione, ſimulque niſus in caput atque deliriorum ſoporumque ſatellitium, notata ſunt. Prona etiam fuit morbi indoles ad expellendas *petechias.*

X.

Morbi mucoſi tranſitus duplex.

Vti morbus in *ſingulis aegris* per omnem epidemiae decurſum, ita tota etiam epidemia per varios gradus *tranſiit ex mucoſo in gelatinoſum.* Haud raro in vno vel altero indiuiduo vtriusque vitii connubium ex ſimulacris pleuriticis & reliquo inflammationum ſatellitio notatum eſt. Aliquoties etiam criſis in ſanguinis gelatinam contigit, mutati morbi mucoſi in inflammatorium benignum beneficio. Simpliciſſima quidem morbi mucoſi criſis, excretio nempe mucoſa, ſaepenumero per vlteriorem muci coctionem indolis gelatinoſae particeps, ſpeciem puris ſecreti retulit. Frequentiſſime quoque criſis in veram ſuppurationem, tum externam, tum internam, abiit; qui quidem folliculorum mucoſorum error & in aliis morbis non infrequens eſt. Sic omnis phthiſeos purulentae primordia procul dubio ex vberiore muci in ſuas cryptas congeſtione repeti poſſunt, quae in veram conſumtionem adoleſcunt, quando eadem muci organa pleraſque ſanguinis gelatinoſas partes fluidumque nutritium alliciunt & in ipſa tandem vlcera excoquunt. Febris mucoſa, longa potiſſimum, ſem-

ſemper fere vitium cum fluido nutritio communicauit, adeo graue, vt aegri, ex conſumtione mucoſi aeque ac gelatinoſi fluidi, phthiſico modo exſtinguerentur. Pro varia autem coctione atque vtriusque fluidi corruptelae diuerſitate, modo vera ſuppuratio, modo ſcirrhi interni, glandularum lymphaticarum obſtructio, oedemata pedum atque ipſe hydrops ſunt enata. Quo nobilius enim fluidum eſt, quod corpori ſubtrahitur, vel in partem quamdam congeritur, eo maius inde detrimentum proficiſcitur. Medium inter mucoſum & gelatinoſum vitium eſſe videntur glandularum lymphaticarum farctura, ſcirrhi viſcerum interni, atque vlcera aphthoſa. Propius vero abeſt vitium a gelatinoſo, vbi fluidum, quod ſucci nutritii plurimum comprehendit, in telam celluloſam vel corporis caua decumbit, varia hydropis ſpecie, atque reliquo corpori ſubtrahitur.

Memorabilior eſt *ipſius epidemiae ex mucoſa* indole *in lymphaticam indeque gelatinoſam tranſitus.* Iam menſe Februario 1761, qui & alias ex ſua natura pleuriticos morbos alere conſueuit, morbus mucoſus ab indole propria ſubinde degenerauit in morbum, inflammationis participem; quin aliquoties in verum inflammatorium eſt mutatus. Senſim ſequioribus menſibus frequens inflammato-

 mato-

matorii maligni connubium, cum ſiccitate peluis, niſu ſanguinis in caput, atque exanthemate petechiali fuit. Subſequente aeſtate pedetentim mucoſum euanuit, atque epidemiae indoles fere ſimpliciter lymphatica euaſit, infantibus potiſſimum infeſta. Intumuerunt glandulae lymphaticae colli, bronchiales, meſaraicae & inguinales. Vtplurimum inanis fuit cicutae ad reſoluendos illos tumores adeo laudata virtus: plures potius atrophia, phthiſi ſcrophuloſa, ſcirrhoſa, alii neruoſa, *) pauci vlceroſa, perierunt. Paſſim etiam ſcabies & alii cutis affectus fuere ſolemnes. Hactenus igitur *degeneratae epidemiae indoles lymphatica cruda.* Sub initium hiemis 1761. lento pede denique in aliam, prima ſpecie longe diuerſam, tranſiit, nimirum varioloſam. Sed profecto & morbus varioloſus a lymphaticis parum diſtat, atque ab illa cacochymia ſucci nutritii crudiore, modo deſcripta, eo tantum nomine diſcrepat, quod varioloſi morbi *indoles* ſit *magis cocta.* Ex indole etiam morbi lymphatici crudi quasdam quaſi praedas varioloſus morbus ſuſtulit: vitium frequenter decubuit ad glandulas lymphaticas, coctione aegre ſubigendum, dum coquens febris, lentior ſolita, multis propter difficilem ſuppurationem funeſta

*) cf. Prgr. de phthiſi infantum neruoſa, p. 4.

neſta eſſet. * In cadaueribus, cum glandulis lymphaticis multum obſtructis, eadem fere in hepate atque reliquo abdomine obſeruata ſunt, quae in praegreſſa epidemia mucoſa.

Alius morbi mucoſi *tranſitus* mali *ſedem* magis *reſpicit*. Similis ceterum eiusdem eſt relatio tum ad ſingulos aegros, tum ad ipſius epidemiae tramitem. *Morbus mucoſus*, licet ex ſua natura idiopathicus *abdominalis* ſit, pro more tamen morborum abdominalium *pulmones* ſubinde *in conſenſum trahit*; quia haud raro *vitium critico modo in pulmones migrat*, atque adeo aegri, ex pulmonum farctura, peripneumonico modo moriuntur. Pulmones enim prae reliquis viſceribus laxo parenchymate morboſam congeſtionem fouent. Quoties autem vitium imi ventris in pulmones transplantatur, gelatinoſam congeſtionem factam eſſe obſeruauimus. Hinc glandularum bronchialium vel ipſius pulmonis farctura cruda coctaque, ſputa cocta purulenta, pulmonum ſcirrhi & vlcera. In aliis morbus pertinaciter manet abdominalis, atque tunc, niſi criſi externa ſoluatur, in morbo acuto, gangraena abdomi-

 nalis

* vid. diſſ. de morbo varioloſo. p. 23. l. S.

nalis aegrum peſſundat; in longo ſcirrhus, hydrops, &c.

Ipſa epidemia ſero *tranſiit* partim *in* externum morbum purulentum, *variolas;* partim in inflammatorium thoracicum, *pleuritidem* & *peripneumoniam.*

SECTIO II.

MORBI MVCOSI SPECIES.

I.

Synopſis.

Latiſſimos haec conſtitutio morboſa limites extendit. Non eos ſolos miasmate ſuo contaminauerat, qui euidentia factae infectionis ſigna ex valetudine labefactata cognouerunt; ſed diu etiam in corpore latuit morbus adeo tectus, vt ſine ſuſcepti contagii ſuſpicione, perfecte ſanus videretur homo. Senſim ſenſimque apparenter ſani quasdam affectiones, ad ſtatum epidemicum pertinentes, ſunt experti: vel cauſſa quadam occaſionali paullo grauiore accedente, latentis miasmatis ſuſcepti actio ſubito interdum eo exarſit, vt grauiſſimus, quin lethalis morbus exinde ſequeretur.

Plures, a leuiſſimo ad ſummum, *gradus* recenſere, nimis eſſet prolixum: quare morbum, ſi ad febrem coniunctam ſimul reſpicimus, in *quatuor ſpecies primarias* diſtingui poſſe putamus; quarum leuior ſaepe in vicinam peiorem tranſiit, ſolaque peiorum ſalus ex reditu in mitiorem ſperari potuit.

Prima *ſpecies* huius morbi *chronica* duplici modo ſeſe manifeſtat: vel enim nulla penitus ſymptomatibus chronicis iunctae cujusdam febris notabilis veſtigia notantur: vel febriculis variis; nocturnis, ephemeris, anomalis eſt diſtincta.

In altera huius morbi *ſpecie* febris *acuta* accenditur, quae ipſa variae indolis eſt; modo enim ſimpliciter acuta, * vtcumque benig-

* Ita quidem apud nos. Retulit autem vir fide dignus, praeſens tunc temporis teſtis, morbum in noſocomiis caſtrenſibus Oxendorfi & Rinbeccae ad Dimalam menſibus Decembri & Ianuario acutiſſimum fuiſſe, & fere peſtilentialem. Subito vehementi capitis circa frontem praecipue dolore perculſi aegri, ſtatim in deliria furioſa immergebantur, plurimis intra diem 4-7 funeſta. Pauciores ex diutius protracto morbo euaſerunt. Semel modo in noſtra Epidemia ephemeram muccoſam, ſiue acutiſſimam, ſanatam, obſeruauimus. cf. Hiſtor. VIII.

benigna; modo plus minus malignitatis atque bilioſarum, putridarum & inflammatoriarum naturae particeps eſt.

Tertiam *ſpeciem*, *lentam* tantiſper latiori ſenſu vocabimus, duplici nota diſtinctam: etenim vel ab initio continua longa in veram lentam phthiſicam tranſit; vel leuiora mox ſymptomata in aliis ad ſanitatem vsque manſerunt, in aliis ſenſim ingraueſcentia, in veram lentam conſumtoriam abierunt.

Sub quarta demum *ſpecie*, *acceſſoria*, illam complectimur, quae aliis affectionibus primariis iuncta characterem ſuum inprimit. Ceteroquin haec poſterior ſpecies, ratione febris, ad quamdam priorum ſemper referri poteſt. Affectiones illae primariae ſunt. graviditas (morbus tunc vel cum ipſo embryone in vtero communicatur); vulnera; morbi chronici varii, fere omnes; quin morbi acuti conſtitutionis epidemicae ſubſequentis, &c. De quibus omnibus ac ſingulis ſigillatim nunc erit dicendum.

II.

Prima morbi mucoſi ſpecies chronica.

Quos prima huius morbi ſpecies adoritur, lecto non adfixi, muniis ſuis vtcumque vacant.

vacant. Deſiderium ciborum ita mutatur atque minuitur: vt quidem appetant, ſed adſumta vel deguſtata mox faſtidiant, atque poſt epulas nauſeam & preſſionem in epigaſtrio percipiant. Aliis quoque tempore mutatino ieiunus ſtomachus nauſeam parit cum vomendi conatu. Quidam aliquamdiu leui diarrhoea, plus minus mucoſa, alba, ſua ſponte rurſus ceſſante, quae interdum redit per interualla, iterumque ceſſat, affliguntur. Multi tuſſicula quadam ſicca abdominali vexantur. Aliis vnum vel alterum vlcusculum aphthoſum in ore aut lingua, cum febriculis, modo ephemera, modo nocturnis vel anomalis, vtcunque criticum ſubnaſcitur, dolentibus vtplurimum ſimul gingiuis.

Quam plurimis quoque vermes ore aeque ac aluo excluduntur, ſine vllo notabili morbo praegreſſo. *Exitum vermium per os* ſubinde praecedunt & comitantur nauſea, titillatio quaedam cardiae & oeſophagi, tuſſicula, conatus vomendi, cum notabili quadam anxietate. Copia quoque ſaliuae tenuis tum temporis cum ſenſatione quadam moleſta in ore colligitur atque inter nauſeam cre effluit vel reiicitur: quae tamen omnia, poſtquam vermis fuit extractus, leniuntur atque euaneſcunt. Subinde quoque & ſine iuncto

vomitu

vomitu vermes ſua ſponte inter nauſeam & ſaliuae aquoſae affluxum, ex ſtomacho in fauces adſcenſum moliuntur, atque cum horrore & indignatione quadam digitis arrepti, vlterius expediuntur ac proijciuntur.

Parili etiam ratione *per aluum* ſubinde vermes eliminantur, modo ſolitarii, modo in faſciculos ſibi inuicem implicati, aut in glomera collecti. Vtplurimum ſimul cum excrementis vermes excernuntur *mortui*, raro *viui*. Sed haud raro etiam viui cum vellicatione & irritatione alui, qua data porta, exitum moliuntur, prorepunt quadamtenus, interdum ſubſiſtunt aut ſeſe recipere tentant, donec prehenſi, non ſine quadam reſiſtentia, vlterius protrahantur. Interdum ex proprio conamine hoſpitium deſerunt; nonnumquam etiam ab aſſumto quodam euacuante aut anthelmintico expelluntur.

Duo inprimis vermium genera notauimus: alterum *lumbricorum* vulgarium; alterum vero memorabile genus nouum, ad noſtra vsque tempora, quantum conſtat, nemini cognitum, nec vſpiam antea deſcriptum. Sollicite *Praeſes* hunc nouum corporis humani hoſpitem examinauit, atque ob caudam capillarem, nomine *trichuridum* deſcripſit, adiectis, circa animalculi oeconomiam,

miam, obſeruationibus microſcopicis & iconibus. * Primas trichurides, ramentis comeſtae & non penitus ſubactae radicis liquiritiae inhaerentes, in inteſtino coeco, diſſecti in theatro anatomico cadaueris, militis cuiusdam ex noſocomio caſtrenſi allati, offendimus. Duplex huius animalculi *ſpecies* tum in hoc, tum in aliis quamplurimis cadaueribus, oblata nobis eſt: altera *recta*, aſcaridibus, ſi caudam & molem excipias, non adeo diſſimilis, ceteroquin alba, flaccida; altera autem *curua*, in lineam ſpiralem contorta, magis cinerea, rigida, elaſtica. Vtriusque imaginem, ſicuti non armato oculo conſpicitur, aeri inſculptam, exhibet Tab. III. fig. 4.

Quantum ex ingenti numero diſſectorum cadauerum nobis conſtat, iunctis ſimul obſeruationibus clinicis, trichurides in coeco nidulantur, nunquam craſſorum canalem transgreſſae. Enecantur quidem, emolliuntur, macerantur & conquaſſantur, excrementorum flumine in reliquum craſſorum tractum proripiuntur atque hoc modo, quoties morbus putridus fit, excluduntur; quin interdum critico modo ſua ſponte elabuntur: at vero numquam per Bauhini valuulam in ileum

* cf. Götting. Gel. Anzeig. St. 25. 1761.

ileum ſe recipiunt; quare ne ſemel quidem ore quasdam redditas, vel in tenuium canali in cadaueribus latentes, obſeruauimus.

E contrario lumbrici inteſtina tenuia, & prae reliquis ieiuni & ilei tractum, ſibi hoſpitium eligunt. Interdum tamen accidit, vt nouis forſan illecebris inuitati, ventriculum verſus alliciantur, illas appetentes adſcendendo, in duodeno aut ipſo ventriculo aliquamdiu oberrent, donec vel per os abſcedant, vel rurſus inferiora verſus repellantur. Quoniam inteſtina craſſa neque aptum lumbricis domicilium, excrementis nempe duris & laedentibus conſpurcata, neque laudabile alimentum praebent, illis faſtidiuntur: quapropter eadem non niſi ſolitarios lumbricos, emortuos, flaccidos, emaciatos, quin conquaſſatos & in fruſta contritos recipiunt. Magis capiuntur pulte tenuium chymoſa, admiſta ſimul pro condimento ſaburra mucoſa & bile modice corrupta. Ventriculum etiam, qui, ſine bile, ſola materia chymoſa & muco abundat, non niſi per errorem petunt. Neque in duodeno reſident, in quo bilis nondum cum reliquis contentis eſt ſubacta. Forſan etiam vitium quoddam ſucci pancreatici ſymbolam ad paranda lumbricorum bellaria confert.

Vario-

Vario quidem modo corpori noxam inferunt vermes, non autem morſu aut vellicatione; rictu videlicet & organis mordentibus priuati. Vtplurimum per fallaciam cauſſae, vermibus omnem ſaburrae, in qua viuunt, atque ipſius morbi tribuere ſolent effectum. Nocent fere ſimplici irritatione, qua, quum aliquid aduerſi contingit, vehementer iactato corpore ad inflammationes disponunt. Vix ſane vermes inteſtina, morbo illaeſa, perforabunt: ſed facile, quum illa exulcerata & morbo confecta ſunt, ſine proprio impetu expelluntur. Emortui etiam & contriti vermes putredinem contentorum in inteſtinis augent. Vbi nimia copia adſunt, humores abſorbent; nutrimento corpus defraudant; haud raro in magna glomera ſibi inuicem impliciti, canalem alimentarem obſtruunt; occupatam ſedem perpetua expanſione debilitant, atque inflammationi anſam praebent. Infantibus ceterum plethoricis pauciores hoſpites inteſtinales re vera emolumento ſunt, modeſta conſumtione ſuperfluum nutrimentum, corpori noxium, ſubtracturi.

Prior huius morbi ſpecies per ſe numquam anceps vel funeſta eſt, ſed ex ſolo in acutum morbum tranſitu. Donec febris acceſſerit, chronico modo malum perſeuerat, medi-

medicamentis illudens. Eſt enim & huic morbo perpetua illa lex, qua, niſi facta quadam coctione, quae ſine febre fieri nequit, non debellatur. Medicamentis aliquid cauſſae ſecundariae, non autem primaria, labes nempe neruorum, ſubigitur. Morbi obſtructionum omnes diu latitare, tandem vero eo ingraueſcere poſſunt, vt febris accendatur, prioris mali chronici criſis atque medela. Accenditur autem vel ſine alia cauſſa manifeſta, ſolo naturae vigore; vel vitii interni augmento; vel cauſſae nouae impulſu. Febris agitatione obſtructa viſcera reſerantur & ſecretionum aequilibrium reſtituitur: aut ſi labes vinci nequit, cuncta turbantur & peruertuntur.

Paruae febres, morbi primarii veluti appendices, minus conſpicuae, vtplurimum negliguntur. Sunt iſtae febriculae ex abdomine ſymptomaticae; modo nocturnae & matutinae, aliquot horarum ſpatio adſtrictae; modo ephemerae, anomalae, erraticae. Niſi vno impetu vitium ſubegerint, redeunt, donec coctione facta, criſi qualicumque, conſpicua tamen, morbus ſoluatur. Quid? quod, ſub maiori vitio frequentiores acceſſiones ad ipſam febrim acutam euehuntur.

Laudabiles autem naturae per febrim

conatus in morbis etiam chronicis notamus. Perpetuam valetudinariorum, quin omnium hominum, medicinam parauit ſebrem natura; paruas inprimis nocturnas, matutinas, aliasque ſymptomaticas. Nec ipſa ſani hominis, ebrii, aut nimio motu deſatigati, corporis integritas alia lege reſtituitur. Sufflaminant labem, corpori quomodocumque illatam; morbi chronici ſingulos impetus non vno modo ſubleuant aut tollunt, atque ſanitatem tantisper reſtaurant, donec noua cauſſa, aut vitii interni augmentum, febrem denuo laceſſat.

Pro varietate ſubiectorum & morbi, ſoluuntur: catarrho qualicumque, puſtulis, aphthis, furunculis, vlcusculis, gingiuarum dolore, dentium mucoſo ſqualore, labiorum ſiccorum fiſſuris, copioſo ſebo palpebrarum auriumue cerumine cum meatus auditorii pruritu, axanthematibus chronicis, ſcabie, diarrhoea, vrinae ſedimento, ſudore matutino, aurium tinnitu, facie & oculis tumidulis cum leui rubore, moroſitate, iracundia, aliisque ad neruos metaſtaſibus leuioribus, vel critica excretione, obſeruatori ſollicito manifeſta. Vix centeſimus quisque ad illas febriculas earumdemque ſigna atque affectus ſatis animadvertit.

Si

Si tamen paullo curatius attendimus, varia ſigna illam luculenter denotant. Immediate ante acceſſum vigere videtur valetudo cum inſolita quadam animi hilaritate & alacritate. Cibi, licet auide appetantur, ventriculo ponderis & tenſionis ſenſu, cum levioribus ructibus & abdomine inflato, moleſti ſunt. Aluus aliquamdiu ſegnis vel clauſa eſt. Circa veſperam inſolita, inter oſcitationes & in artubus inferioribus palpitationis * fibrarum ſenſum, formicationis ſimilem, obrepit, cum oculorum ſiccitate, vel interdum lacrumarum ſtillicidio, ſomnolentia. Haud raro etiam leues horripilationes percipiuntur. Blandus & facilis ſomni acceſſus eſt, turbati dein variis phantasmatibus atque inſomniis, ita vt interdum cum pauore attoniti, vel pollutione concuſſi, euigilent. Nonnullis, noctu inprimis, artus dolent, ſtragulorum impatientes, cum venis turgeſcentibus. Sequitur calor febrilis cum pulſu pleno, frequenti, capitis pondere atque pulſatione, palpitatione cordis, ſiti, faucium ſiccitate, agrypnia, inquietudine, iactitatione corporis & ſtragulorum; mox cum emiſſis flatibus ſudor, inprimis inter femora copioſus, comitatur febris aeſtum. Subſequente die

E 2

* cf. ROGER, de perpetua fibrarum muſcularium palpitatione. Gœtt. 1760.

die tumidior & grauis eſt lingua, lata, humida, albicans; cum leui palpitatione cordis, capitis pondere, ore ſicco, & quodam ſtupore; ſuccedunt oſcitationes & pandiculationes, illacrumatione iuncta, ſitis & corporis laſſitudo, quae inſtante excretione aluina augetur, facta leuatur. Copioſa etiam & frequens vrina pellucida, cum leui horripilatione, redditur.

In leuiori febricularum ſpecie ſomnum leuem & blandum non turbatum, praecedit leuiſſima horripilatio, ſequitur ſub ſomno per totam noctem leuis mador. Multo mane ſponte expergefactis cum agypnia placidus ſudor erumpit, reficiens. Poſt excretionem aluinam, ſine reſiduo laſſitudinis aut ſtuporis ſenſu, valetudo, tenſo rurſus organi animalis elaſtro, inſtauratur.

Frequentiſſima febricularum nocturnarum ſpecies, lucubrantibus praecipue familiaris, in matutinum tempus protrahitur. Somnum negligentes, prae aliis, ad ſeram noctem alacres eſſe ſolent. Pedum algori iungitur agrypnia, cum leuiſſimo, a palpitantibus fibris, aurium ſuſurru; nec ſomnus prius obrepit, quam pedes rurſus calore naturali foueantur. Subſequentem leuem, ſub ſomno non reficientente, calorem comitatur blan-

dus

dus mador. Claro demum mane expergefacti, cum capitis leuiſſimo dolore, moroſi, languidi, temulenti, ſtupidi, inuita Minerua negotia obeunt. Lingua ad medium fere diem vsque grauis, torpida, lata, humida, tota albet. Blando potu, lacte diluto, torpentes nerui ita demulcentur, vt ſenſim reſipiant. Miſſam interdiu vrinam ſeroſam interdum ſequitur ſedimentum lacteum, fundum petens, cuius ſuperficiem tegit cuticula pinguis, verſicolor, cohaerens. Vtplurimum tamen ſola ſubſidet nubecula.

Agile ceteroquin & animarum prodigum id genus hominum eſſe ſolet, acutioris ingenii, ad meditationes procliue, otiique impatiens. * Medium tenere non omnibus horis ſapiunt: modo enim moroſi & moeſti ſunt; modo, noua praecipue morbi periodo inſtante, vltra modum alacres.

Niſi ſudore vel alui deiectione vitium ſoluatur; ſeries quaedam febricularum, ſimili tramite decurrentium, ſubſequitur, donec puſtulis, labio exulcerato, furunculo, catarrho, vel alia qualicumque criſi morbus diſſipetur.

 Fre-

* Mobilitas procul dubio neruoſi ſyſtematis facit, vt omnium frequentiſſimae apud infantes febriculas nocturnae obſeruentur; ſed ſine corporis poſtridie laſſitudine.

Frequentiores contingunt febriculae nocturnae, quibus cum vitiis abdominalibus ſupprimitur tranſpiratio. Hinc potiſſimum celebres ſunt, quoties tempeſtatem calidam frigida excepit, ſtante praecipue ſimul Euro vel Borea.

Quantum in conſeruanda valetudine medico interſit, & hoc nomine naturae ſe praebere miniſtrum atque ſollicitum obſeruatorem, dici vix poteſt. Id ſane certiſſima experientia eſt comprobatum, cutem externam cum abdomine in perpetuo eſſe commercio. Vitia viſcerum imi ventris ſoluuntur excretione critica ad ſuperficiem corporis facta; & hac perperam ſuppreſſa, peſſime viciſſim afficitur abdomen. Hinc nihil praeſtantius praeoccupat febres, inprimis malignas, quam febriculae illae nocturnae bene ſolutae & fotae. Fouentur autem tranquilla requie matutina & male his febriculis vexati vt dormitores increpantur: male iuniores, ſalutari naturae criſi indormientes, ad ingenii culturam, cum corporis fractura, aguntur. Nihil magis ad febres abdominales, easdemque peſſimas, disponit, quam neglecti ſudores matutini, & in vniuerſum turbatae illarum febricularum criſes.

Quantum emolumenti febriculae illae & criſis illarum cutanea in morbis chroni-

cis

cis afferant, in noſtra epidemia praecipue notauimus. Inter potentiſſima naturae praeſidia primum locum ſibi vindicabant, praeter febrem intermittentem regularem bene ſolutam, ſcabies, herpes, aliaeque cutis affectiones. Immunes etiam manſerunt, quibus domeſticae erant febriculae nocturnae, ſudores matutini, puſtulae paſſim in corpore per interualla efflorefcentes, ſudores perpetui critici alarum, pedum, fonticuli &c. Dummodo ſalutares naturae effectus ſedulo fouebant, tuti ab infectione erant; quin ſecuri in noſocomiis verſari atque morbo epidemico defunctorum cadauera pro arbitrio rimari poterant. Multi neglectis his praeſidiis, ſuſcipiendo & euoluendo contagio anſam praebuerunt.

Soluitur ſubinde haec *prior morbi mucoſi ſpecies* excretione quadam mucoſa vel purulenta critica: cuius generis ſunt moleſta diarrhoea mucoſa, tuſſicula humida cum muci reiectione, vomitus mucoſus, fluor albus, catarrhus narium vel qualiſcumque alius. Effloreſcunt paſſim in corpore puſtulae, intertrigo, vel quidquam vlcuſculi aut exanthematis: exulcerantur labia oris vel gingivae, tument vel aphthis obſidentur os internum, lingua, gingiuae. Ipſa quoque vermium excretio inter criſes erat, ſiue ore aut vomitu, ſiue per aluum inter excrementa mucoſa prodierint.

Quoties

Quoties febriculis vlterius excoquitur materia morbifica, ſequuntur ſudores nocturni, matutini; praecipitatur vrinae turbidae, limoſae, ſedimentum catarrhale, mucoſum &c. Tumor quoque oedematoſus circa malleolos ad huius morbi criſes poteſt referri; qui ſaepe poſt expulſos vermes ſubſidet. Subinde malum critico modo tranſiit in icterum, tunc temporis frequentem. Quin, quum in ſpeciem mucoſam acutam euehitur, ipſum febris incendium critico quaſi modo contingit.

In debellando hoc malo eo operam nauandam cenſemus, quo mucos reſolutus euacuetur, noua congeſtio ad primas vias arceatur, atque vis morbi ad ſuperficiem corporis determinetur. Vermibus expellendis quocumque modo proſpiciendum, atque ſubacto morbo, robur viſcerum imi ventris reſtituendum erit.

Non ſine aegri leuamine adhibita ſunt vomitoria, praecipue per epicraſin data. Non ſolum mucum congeſtum extricarunt, ſed ſubinde etiam vermes. Hoc nomine tamen prae reliquis eminent, quae nauſea magis, quam ſtimulo agunt. Soluunt mucum ſtagnantem, collectum diluunt; acrimoniam humorum, in primis viis haeſitantium, obvoluunt;

voluunt, & lento demum conamine, excitata nauſea, per blandum ſerumque vomitum eliminant, ſimulque leniter & citra moleſtias aluum ducunt. Emetica ſtimulantia ventriculum, conquaſſando, debilitant, adeoque ad ſpasmos & vberiorem muci metaſtaſin diſponunt.

Vbi nulla febris vel parua tantum iuncta eſt, mercurius, viuus praecipue, ſaccharo ſubactus, egregia virtute reſoluente & anthelmintica omnibus reliquis praeſtitit. Vtroque etiam nomine proficuus fuit camphorae vſus, praecipue cum mercurii dulcis connubio. Amarorum efficaciam in expellendis vermibus fruſtra exſpectauimus. Accenſa febre, cane ac angue magis fugienda ſunt mercurialia, quorum tunc vſum numquam impune ferunt aegri, ſed inde notabilem virium iacturam malumque cum febre inſigniter exaſperatum experiuntur.

Generatim omnes ac ſingulae huius morbi ſpecies ſibi vindicant curam dyſenteriae analogam. Semper cum ſucceſſu vſi ſumus demulcentibus, mannatis, cum oleoſorum & anodyni connubio.

Specifico, mucum in hoc morbo congeſtum reſoluente, deſtituimur: nec quidquam tentaminis, metaſtaſin illam compe-

ſcendi, & ſuo remedio alia corporis emuncto-
ria verſus determinandi, ex voto ſucceſſit. Spem fefellerunt ſalia reſoluentia, ſine omni emolumento propinata: alia generoſiora, vt kermes minerale, minus proficua fuere. Soli camphorae hoc nomine aliqua virtus tribui poteſt, ſpasmos ſopienti, atque ſudores nocturnos mouendo, commendabili.

Quoties chronicus morbus febrili vicinior eſt, quaedam, ſupra expoſitis grauiora, ſymptomata ſeſe aſſociant atque febris iam imminentis prodromum faciunt. Aucta diarrhoea, integras hebdomades interdum, quin menſes protracta, haud raro deiiciuntur immixti ſanguinis veſtigia, iterumque mucoſa ſimpliciter & alba. Pondere veluti appenſo languent artus, manus aeque ac pedes; naſcitur tumor circa malleolos; accedit aut intenditur tuſſis abdominalis ſicca; iunguntur dolores imi ventris, praecipue in hypogaſtrio; ingraveſcit nauſea cum vomitu, poſt epulas inprimis, ſpontaneo; ſaporem deprauatum, vappidum, amarulentum excipit ſitis; dolent gingiuae tumidulae & aphthis obſitae, tandemque vera febris accenditur.

III.

Secunda ſpecies febrilis.

Rariſſime ſecunda huius morbi ſpecies ſimul & ſemel hominem adoritur, quem vt-
plu-

plurimum praeliminaria chronica e longinquo quaſi diſponunt, donec vel per tranſitum quendam, rariori in caſu per ſaltum, addita cauſſae cuiusdam occaſionalis ſcintilla, vt animi pathemate, ira, moerore, terrore &c. febris incendium ſuſcitetur. Similibus, ſed vehementioribus, ſymptomatibus, quibus tota ſpecies prior, & huius ſtadium praeliminare chronicum abſoluitur. Quaedam inſuper rariora accedunt; menſtruorum nempe ſuppreſſio, atque ſua ſponte ab initio morbi recedens hernia: diarrhoeam chronicam ſuppreſſam excipiunt anxietates, ſaepe recurrentes, difficilis reſpiratio, oppreſſiones ventriculi, & poſt vomitus ſpontaneos ac nauſeam graue frigus, morbi grauiſſimi, quin febris acutiſſimae futurae index.

Vehementia febris tam ratione ad primum paroxyſmum, quam ad totum decurſum, ſemper fere fuit in proportione frigoris initialis; ita vt mite frigus vel ſolum horrorem quemdam exceperit modeſta febris, quandoque ex ſyrmate magis ephemerarum & nocturnarum compoſita, quam continua. Quae vero ſubdolo magis initio, alternis horroribus aeſtuque fugaci diſtincto, aggreditur, de malignitate ſuſpecta eſt.

Duplex febris indoles notata eſt: *benigna, maligna.*

Et

Et ipſa benigna multum inter ſe diſcrepat, typo aeque ac ſymptomatum ſerie. Alia regularis continua eſt; alia intermittenti regulari ſimilis; alia erratica magis, ex febricularum ephemerarum & nocturnarum ſyrmate fere compoſita; quin-interdum noua febris primariam excepit per modum recidiuae criticae. Certo typo adſtrictae febris exacerbationes aequabiles veſpertinae, quotidianae, regulari tramite decurrunt. In maligna ſubinde alternae exacerbationes grauiores typum hemitritaeum aemulantur.

Benigna in plerisque diebus 7mo, 11mo, 14to, profligatur; altera, pro compoſitionis & malignitatis gradu, ad diem 20-21 protrahitur. Raro criſi perfecta, ſaepiſſime imperfecta quadam, vel pluribus levantibus, ſoluitur, mira quadam varietate diverſis.

IV.

Febris mucoſa, (1) benigna.

Grauì vtplurimum horrore ſimilique frigore inceſſit, iunctis interdum nauſea & vomitu ſpontaneo: erraticae febris primordia ſaepius fiunt ex horripilationibus aeſtuque fugaci. Vt ſingulae exacerbationes, ita primus

mus impetus, maxime die declinante vel ipſo veſperi incidit. (Raro noua febris periodus ex frigore matutino ortum traxit.) Sequitur per noctem aeſtus validus, frigori praegreſſo ſaltem proportionatus, cum intenſa ſiti & capitis dolore, potiſſimum ſyncipitis, pro morbi indole plus minus manifeſto vel tecto. Ciborum appetentia, niſi iam aliquamdiu ſiluerit, ſaltem nunc proſternitur. In plerisque aegris iuniori morbo perpetuus vomendi conatus, cum aluo clauſa; raro ſudores, profuſi, rariſſime circa ſuperiora, notantur; raro etiam parca ſanguinis veſtigia micant. Statim iungitur tuſſis abdominalis ſicca & ſpaſtica, mitior magisue exaſperata. A vomitoriis exhibitis, notabilis ſemper muci copia eliditur, bile plus minus, quin interdum lumbricis remixta. Sanguis forſan miſſus per arcum & cum clangore delabitur e vena: placentae ſuperficies tenui, alba vel coerulea & ſemipellucida cruſta pleuritica tegitur & interdum ſine ſero ſplendet; pro inflammationis iunctae vario gradu, plethorici inprimis, excruciantur doloribus pectoris pungentibus, cum tuſſi inualeſcentibus; quibus ſimulacris pleuriticis haud raro adiunguntur praecordiorum anxietates, difficilis reſpiratio, hypochondria dolentia. Iactatur corpus, minuuntur vires, labaſcit mens depreſſa, moroſa, inquieta. Aliis, in ſomnolentiam

tiam demerſis, varia ſub ſomno phantasmata obuerſantur: alios deliriorum turbae exagitant inter anxietates auctas. In acutiſſima & multum vigente febre, pro diarrhoea ſuccenturiatus ſudor profunditur, cum artuum dolore. In aliis tertio quartoue demum die ab exhibitis laxantibus aluus laceſſitur, & inde nata atque in decurſum morbi protracta diarrhoea, remedii veluti continuatus effectus eſſe videtur. Alii ſtatim ab initio febris leuioris, quin ſub ipſo iam prodromo chronico, diarrhoea laborarunt. Ab initio materia excreta mucoſa eſt; morbo adoleſcente, haud raro ſimul ſanguinolenta; in vlteriori progreſſu magis bilioſa. Raro ſpumantia cum impetu eliduntur excrementa; quin, vbi in peruerſo morbo ad mortem vergit, ſanguine remixta, putrida, foetidiſſima. Deiectiones aluinas ſubinde comitantur tenesmi, dolores abdominis grauiſſimi colici, praecipue in regione coli transverſi vrgentes. Haud raro aegri adeo vehementem preſſionem ſentiunt, ac ſi valide ſtringeretur inteſtinum. Excrementis ſubinde admiſti ſunt vtriusque generis vermes. Raro in caſu ructus infeſtant. Blandior & modeſta diarrhoea, torminum expers, interdum cum euphoria aegri adeſt.

Plethoricis per totum morbi decurſum facies florida eſt, cum extremorum interdum

dum rubore. Durum, inflatum, tactuque dolens abdomen familiare magis infantibus, quam adultis eſt. Idem valet de narium pruritu. Haud raro dolent pedes, rarius tument; vbi leue in infantibus morbi initium eſt, pedum tumor interdum ſtatim ab acceſſu febris eleuatur. Satis conſtans ſymptoma eſt, & huic morbo fere ſpecificum, excoriatio oris interni, qua tumidula lingua & gingiuae aphthis dolentibus obſidentur. Os cum faucibus magna muci copia conſpurcatum eſt, ſub maiori febris aeſtu ſiccum: nonnullis collecti in larynge muci copia ſtertorem ſub reſpiratione excitauit. Sapor oris deprauatus, ſubinde amarulentus: lingua ſubſicca, pallida, alba, ſplendens, muco craſſo, albo, ſqualido obducta, ad radicem flaua, ſubfuſca, limbo & apice vtplurimum rubris. In infantibus magis, quam in adultis, feminisque magis quam viris, papillae linguae fungoſae, eleuatae, rubrae, inter mucum prominent. Haud raro etiam lingua & ſuperficies oris interna, aphthis tectae, ſumma cum aegri moleſtia & cruciatu vtcumque exulcerantur. Vox ſubinde querula, vel circa dolores eſt. Flaua, rubra, craſſa, ſub initium morbi, niſi morbus peioris indolis fuerit, ſine ſedimento vrina eſt; a quarto inde die turbida, limo-

ſa,

ſa, cum ſedimento mucoſo cinereo, catarrhali, albo, leui, ramentoſo, admiſſo interdum parco lateritio, cum circulo ad vitri parietes. Quidam cum inſigni ardore & difficultate, aliquamdiu protracta, vrinam faciunt, quae pallida & cruda ſub frigoribus redditur. Pulſum, in hoc morbo varium, aegre determinamus. Plethoricis, & quamdiu inflammatorium praeualet, nec non in puriore ac benigniore morbo, plenus eſt, plus minus durus, cum frequentia. Senſim vero decreſcit plenitudo aeque ac magnitudo pulſus, quo magis inflammatoria morbi indoles in reſolutionem tranſit. Hac itaque ratione minor ſenſim fit pulſus, magis contractus, ac impeditus, frequentia ceterum manente. Vrgentibus ſymptomatibus multum ſpaſticis, ſub delirio, paruus fit ac debilis, quin interdum tactum pene fugit: poſt rurſus tenuis, frequens, durus. Criſi appropinquante eleuatur, plenus, liberior, qua duritiem & impetum blandus & quaſi emollitus, cum modeſta frequentia. Ingraueſcente diarrhoea & ſymptomatibus abdominalibus auctis, celer, frequens, contractus, duriusculus, inaequalis, irregularis quin intermittens, tangitur.

Per criſin licet completam quam rariſſime

tiſſime febris ſoluatur, vix tamen alia tot excretionibus criticis * imperfectis diſſipatur, quarum aliae leuant, aliae ſucceſſiue morbum ſoluunt. In quamplurimis aegris variae criſes imperfectae aut iunctae, aut ſeſe excipientes, morbum profligarunt. Frequentia prae reliquis eminent ſudores nocturni & matutini, termino vario, d. 9. 11. 14. 17. ſub ſomno prorumpentes, acidum nonnumquam redolentes, raro ſimul iuncto pedum circa maleolos & leui tumore oedematoſo. Vomitus itidem mucoſi, muco puriori aut bile remixto, ſiue ſpontanei, ſiue ſtimulo laceſſiti, dummodo tempus & reliqua ſina congruant. Vrinae etiam ſedimentum ſubinde laudabilem criſin & fecit & indicauit, album leue, pauco lateritio admiſto; album & mucoſum cohaerens, limitibus diſtinctum & pondere ſpecifico, d. 7. 9. 11; ramentoſum, flauum d. 22: interdum alternis diebus catarrhale; raro rubellum; nonnunquam innatat cuticula pinguis verſicolor. Porro aphthae oris & linguae, licet ſpecificum tantum huius morbi ſymptoma videantur, haud raro tamen, praecipue in vlcuscula

* Vtriusque febris primariae, tam benignae, quam malignae, criſes iunctim hic recenſentur.

cula vera aphthoſa transmutatae ad criticas mutationes referri debent, quae interdum iam inde a die 4to ad 14, & vltra ſubſiſtunt. Simili ratione huc trahi poteſt, qui 7mo die, aut ſimul cum aphthis oboritur, gingiuarum tumor. Aliae etiam inſuper huic morbo familiares ſunt criſes purulentae, vt puſtulae d. 11. in oris labiis efflorеſcentes, & quae paſſim ad corporis ſuperficiem emergunt, pectore inprimis & brachiis, puſtulae inflammatae, purulentae, d. 6. 11. 21. 23. apparituraе, interdum veri furunculi ſpeciem referentes. Nec non puſtulas ſcabioſas d. 14. obſeruauimus & purpuracea exanthemata. Rariori in caſu ſimul accedunt exulcerationes in regione oſſis ſacri & trochanterum maiorum d. 17. 19, quas praecedere ſolet metaſtaſis ad aures internas, cum ſuſurru perpetuo, & audiendi facultate abolita mentisque ſtupore, ex quibus illa die 7mo iam notabatur, & ſequente exulceratione ſoluebatur.

Aliquoties diarrhoea mucoſa morbum ſolutum iri d. 7. viſum eſt. Ad criſes mucoſas, praeter ſedimentum in vrina, diarrhoeam & vomitus, pertinet etiam muci cocti per tuſſim, nunc leuatam & humidam, reiectio, d. 9. 11. Expelluntur critico modo d. 7. vtriusque generis vermes cum excrementis

mentis aluinis. Facta etiam aliquoties d. 7mo criſis eſt in ipſam ſanguinis gelatinam; iuncto ſimul mammarum tumore, in puerpera. Forſan ſputi cruenti & haemorrhagiae narium, parca licet, veſtigia d. 10., non minus ad critica naturae molimina ſunt referenda.

Non plane infrequens eſt, poſt 7. vel 11mum diem, critico relapſu febrem iterum accendi. Tunc vtplurimum recidiua d. 4to leuatur diarrhoea aut ſanguinis aliquot vnciarum e naribus ſtillicidio; d. 7mo ſedimento lacteo vrinae, & d. 17mo demum pedum tumore morbus ſoluitur.

Multoties etiam febricula quaedam lenta morbi maximam partem ſoluti reliquias, vlterius excoctas, expellit.

Tranſit quandoque morbus critico modo in alium quemdam, cum varia pro morbi ſuccenturiati diſcrimine, aegri ſorte. Semel febris mucoſa, priori relapſu in ſimilem reſuſcitata, altero in veram intermittentem quotidianam, obortis d. 7mo horripilationibus vagis, tranſiit, ſueto more ſolutam; Epidemia ſeneſcente, non infrequens fuit tranſitus in icterum, tunc temporis graſſantem, modo vniuerſalem, modo parti-

ticularem. Varia quoque alia mala chronica poſt ſe reliquit, artuum dolores ac tremores, raucitatem, oris tumores & abſceſſus, ophthalmiam, pedum oedemata leuiora, quin verum aſcitem lethalem peperit.

Benignam morbi indolem denotant variae muci, vel purioris, vel cocti, excretiones, ſymptomata aphthoſa modica, typi quaedam cum intermittentibus ſimilitudo, lingua mucoſa, leuior pedum tumor & quae aliis benignis in genere competunt. Pulſus celer, durus & frequens, praecipue cum abſentia ſignorum malorum, periculum non portendit; ſiquidem huic morbo iſte pulſus habitus perquam familiaris eſt. Quo magis biliosa putridaque indole haec altera morbi mucoſi ſpecies, & antiqua viſcerum labe aeger caret; eo feliciores omnes fere euadunt. Latente vero labe quadam interna, a puriore mucoſa & benigniore ſub initium indole morbus in bilioſam, putridamque naturam declinat, & ancipiti in loco eſt euentus. In magna aegrorum celebritate & noſocomiis, vt omnis morbus epidemicus multum exaſperatur, in maiori periculo verſantur ſinguli.

Quibus externa criſis non contingit, interna, mala ſemper, vlcere ſcirrhoue pulmonum

monum, aut congeſtione quadam peripneumonica, vel formata inteſtinorum gangraena, acuto lentoue modo pereunt.

Exitum illum fatalem praeſagiunt aliquot dies ante mortem exaſperati vltra modum abdominis dolores pertinaces, cum breuioribus interuallis lucidis. Valde intenditur in aliis tuſſis. Diarrhoea ſenſim fit colliquatiua, excrementa cum impetu expelluntur, aut citra voluntatem defluunt, ſpumantia, biliosa, putrida, in quibusdam ſanguinolenta, foetidiſſima; quoniam nunc febris veram malignam putridam aemulatur, cum ſumma virium fractura. Facta demum gangraena, dolores quidem ſopiuntur, ſed ſine aegri euphoria. Poſt deliria inquieta per aliquamdiu ad ſeſe redeunt alii: ſopore alii ſepeliuntur delirante, taciturno. Diffluunt ſoluti humores ſudoribus frigidis aliisque excretionibus colliquatiuis. Quibusdam lumbricus vnus & alter ſponte effluit. Vbi ad pulmones decumbit funeſtum malum, ipſi congeſta materia paſſim infarciuntur, colligitur in bronchiis mucus, ab oppreſſis naturae viribus non amplius elidendus. Suboritur ſtertor & tandem eadem fere ratione, ac in peripneumonia maligna, placide tamen omnes, vinculis exſoluuntur. Rarum iſtum euentum funeſtum inter ciues notaui-

 mus,

mus, quando benigna ab initio morbi indoles, propter externarum cauſſarum inſidias, in malignam degenerauit.

Iisdem fere armis ac in priori ſpecie, ſed leuioribus, pugnandum, ſimulque febris habenda eſt ratio. Maior vis obſtructionis & acrimoniae primas vias laceſſit, ſpasmos intendit, craſin humorum inquinat ac deſtruit. Tempeſtiue itaque collectae impuritates quouis modo, ſed blande & citra canalis alimentaris noxam, per epicraſin magis, quam vehementiori impetu, vomitoriis laxantibus educi, alterantibus corrigi ſtimulique obtundi debent. Aluo primis diebus clauſae, ſemper cum euphoria aegri dicantur laxantia leniora, ſalina, demulcentibus mannatis praecipue iuncta. Vrgente vero diarrhoea, a laxantibus, ſaltem ſalinis, abſtinemus. Neque promiſcuae, neque frequenti, V. S*ni* locus eſt. Damno enim aegri vena ſecatur in morbis abdominalibus, niſi morbi indoles inflammata, congeſtiones in thoracem, aegrique habitus plethoricus ſub initium & incrementum morbi vnam vel alteram V. S*em* ſuadeant. Semper tamen indicatio ex ipſo pulſu, non autem ex quouis dolore, anxietatibus, aliisue fallacibus ſignis, petatur. Raro ſub morbi vigorem aut decrementum, criſi in ſanguinis gelati-

latinam facta, ſanguinis miſſio indicatur. Primarum viarum obſtructiones mucoſas optime ſoluit, febris beneficio, ipſa natura medicatrix, cuius molimina ad aegri ſalutem dirigere conatur medicus, naturae hoc nomine moderator. Ad compeſcendam, & a primis viis alia corporis emunctoria verſus declinandam, metaſtaſin mucoſam, proficua ſunt, quae contentorum in primis viis ſtimulum obuoluunt, ſpasmos & irritabilitatem demulcent, blandeque ad cutem pellunt. Cuius generis fere ſunt dicata dyſenteriae remedia, vomitoria, laxantia mitiora, mannata, cum demulcentibus & anodynis. Singulari, non ſatis laudanda, efficacia pollet laxantium cum opiatis connubium. Virtute iuncta, ſeſeque viciſſim corrigente, ſopiunt ſpasmos, mucum ſine ſtimuli noxa eiiciunt, atque adeo ad faciliorem verſus cutem progreſſum disponunt.

Magni facienda ſunt, vrgente inprimis diarrhoea, quae nanſeam excitando, ſimul demulcent. Vt in dyſenteria, ita & in hoc malo analogo, dici vix poteſt, quantum emolumenti a remediis nauſeoſis poſſit exſpectari. Compeſcunt, ſuperiora verſus reuellendo, motum periſtalticum nimis intenſum, & contraria quadam actione ad debitum aequilibrium reuocant. Nec quid-

quam in genere nauſeoſis * atque emeticis lenioribus praeſtantius eſt, vbicumque diarrhoea vel alia quaeuis congeſtio morboſa, egregia reuulſione a partibus inferioribus, eſt infringenda. Prae reliquis hoc nomine eminent vegetabiles ſucci, qui ſtimulo carent & ſoluunt, remedia nempe mannata, oleoſa, addito tantillo ipecacuanhae, ſiue in forma pulveris, ſiue, quod praeſtat, eiusdem decocto.

Rheum, niſi refracta doſi pro nauſea exhibeatur, vel aliis addatur, ſine fructu porrigitur: remedia enim bili analoga facile naturae bilis deprauatae aſſimilantur, adeoque ſaburram bilioſam, huic morbo fauentem, augent. *Atque adeo male panchreſtum noſtri aeui remedium laudatur, & aegrorum cubicula rhabarbaro reſonant.*

Neque conducunt reſoluentia ſalina: neque ſimilia metallica, vt antimonialia, mercurialia &c. Scorbutici enim mali adulterio adeo intenditur illorum vis, vt nimia ſoluendi efficacia non mucum, ſed reliquos ſimul humores aggre-

* *quam male ſibi optant aegri, qui grata ſemper medicamina expoſcunt, maleque medentur medici, nimis faciles; famae magis & perae, quam aegrorum ſaluti proſpicientes!*

grediantur, neruos abdominis, qui debilitati ab omni ſtimulo laeduntur, vellicando offendat, nouamque in partes debiles congeſtionem alliciant. Praemiſſis euacuantibus, non ſolum ſingulari virtute vermes pellit camphora, * obſtructiones egregie ſoluit, ſed ſpasmos, vomitum inprimis ſpontaneum, neruoſum, in abſorbentium praecipue vel emulſionum connubio, demulcendo, verſus corporis peripheriam determinat, & tempore critico ſudores pellit. Multum ad bonum morbi euentum confert, ſi dierum criticorum habita ratione, molimina naturae modeſte iuuamus, pro re nata & indicatione, vomitoriis, alvum ducentibus, aut diaphoreticis.

Peſſime conſulitur huic morbo methodo antiphlogiſtica. Stimulo laedunt nitroſa cum ſale ammoniacali, ** & omnia illa mala procreant, quae ſalia reſoluentia. Modeſte & ſuſpenſa manu adhibita, perinde ac praeſtantiſſimum antiphlogiſticum, V. S., vtcumque concedi poſſunt ſub primo febris ſtadio, multum inflammatorio: alias vtrius-

F 5 que

* cf. PRANGE diff. de camphorae virtute anthelmint. Gotting. 1759. p. 10. ſqq.

** Proficuum ſolummodo fuit ſal ammoniacum, quoties febris mucoſa intermittentis veram indolem typo expreſſit.

que vſus penitus proſcribendus eſt. Exſulant & alterius antiphlogiſticorum claſſis remedia, acida, inprimis mineralia; niſi quidem multum bilioſi ac putridi fuerit coniunctum. Mucus inde craſſior, ſpiſſior & tenacior, aegrius folliculis extricatur turgentibus.

Anthelminticis quoque cautiſſime mercandum eſt: quoties ſaburra bilioſa, vermium nidus, ſua methodo expurgata eſt, ſua ſponte vermes, etiam ſine anthelminthicis, abſcedunt. Numquam, ſimulatque febris accenſa eſt, impune vtimur mercurialibus: febris enim connubio illorum vis reſoluens ita exaltari videtur, vt vires magis proſternantur totaque morbi indoles peruertatur. Neque amara intempeſtiue in vſum vocari poſſunt. Ante morbi vigorem nimium calefaciunt, &, velut rheum, ſaburram bilioſam, vermium nidum, locupletant. In decremento autem morbi, vbi iam multum vitii, facta coctione, ſubactum eſt, egregie amara vermes pellendo agunt: reddito enim primis viis robore, digeſtionem laudabilem promouent.

Maturis aegrum veſicatoriis fruſtra vexamus, quae videlicet niſum in reſolutionem intendunt; quin, licet optimum pus eliciant,

ciant, aegrum non ſeruant: ſeriora vero naturae, in ſuppurationem progreſſus iuuant.

Multum leuaminis afferunt clyſteres lenientes, demulcentes, abſtergentes, in morbo potiſſimum vehementiori, anxietatibus ſtipato, vomituque ſpontaneo.

Quis fructus ab vſu extracti corticis peruuiani ſperari poſſit, huius morbi cnm febribus intermittentibus cognatio, tecta quidem & non niſi attento morborum ſcrutatori cognita, ſubindicauit, ipſis dein tentaminibus comprobatus. Quo magis febris, poſt interualla discernenda, ſudoribus nocturnis per impetus intercipiebatur; eo magis proficuum fuit diuinum illud remedium, quoad eius fieri licuit, temporibus remiſſionum propinatum. Laudabilem etiam effectum praeſtitit in arcenda coctione mala, gangraenoſa, & in promouenda criſi ſuppuratoria, Sub morbi decremento ex eiusdem vel ſolius, vel alii extracto amaro addito vſu, primarum viarum vigor reſtauratur, atque promota tranſpiratione inſenſibili, reſidua oedemata aliaeque morbi reliquiae diſſipantur. Morbo multum declinante, corticis ſenſim ſufficit decoctum cum extracti amari connubio; vel ſiquid

quid obſtructionis reſiduae metuimus, addito ſale quodam medio.

Partibus debilitatis finito tandem morbo optime conſulitur miſcela quadam ex aequalibus partibus Eſſentiae corticis aurantiorum, Elixirii Proprietatis Paracelſi & dimidia parte liquoris mineralis anodyni Hoffmanni: vel cortice in ſubſtantia, cum limaturae martis connubio data; aquis meditacis martialibus & huius generis aliis.

V.

Febris mucoſa (z) recidiua.

Morbum quandoque relabi, haud infrequens eſt. Semper fere, ipſa praegreſſa febre primaria, peioris indolis fuit febris recidiuans, (ſi relapſum intermittentem exceperis,) quin interdnm iam poſtridie in noſocomiis aegrum iugulauit. Malo nempe omine morbus relabitur ex vitio viſcerum antiquo, aegre ſoluendo, v. g. ſcirrho, alioue. Ita, prior licet febris aliquamdiu ceſſaverit, cum ſanitatis reſtitutae apparante ſpecie, vitium tamen neruorum, ex parte quidem a priore febre mutatum, ſed in corpore adhuc latens, neque criſi manifeſta expulſum, nouas turbas mouet. Quoties autem,

tem, ſine graui viſcerum labe, morbus excretione critica neque ſoluitur, neque in alium mutatur; ipſe cum critica benignitate relabitur: neque quisquam, ante criſin factam conualeſcens, ſaluus eſt. Citius ſeriusue ignis ſopitus & cineribus veluti obrutus, qua data porta, in apertas flammas erumpit, & vana ſanitatis, apparenter tantum reſtauratae, ſpes praeter opinionem ſaepe concidit.

Obſeruatum etiam in hoc morbo eſt, magnam errorum diaetae eſſe efficaciam; quin vel felici in caſu, quo febris praegreſſa criſi quadam iam maximam partem fuit ſublata. Aliquoties morbum iam ſubactum, iterumque reuocatum obſeruauimus, quum aeger, durante abhuc, ſed nondum penitus abſoluta criſi, lautiori & ad reſtaurandas vires, exquiſitori victui nimis inhiauit. Perquam facile enim, addito corruptelae reliquiis victu multum nutriente & calefaciente, nouae impuritates parantur; plethora cum inflammationis in ſanguine vitio naſcitur, (quae in quibusdam quarto a relapſu die narium haemorrhagia leuatur,) cui ferendae debile corpus eſt impar; bilis vitium denuo exardeſcit, cuius noua congeſtione morbus reducitur.

Aliis, inprimis propter vires priori morbo

bo exhauſtas, debitoque nutrimento non ſuffultas, ſine vera ſanguinis inflammatione, in bilioſam putridamque indolem morbus corrumpitur, cum ſubſequente interdum lenta corporis conſumtione.

Memorabilis in inteſtinis reſtituendis ſeries obſeruatur. Quo tempore ſuo officio ventriculus iam defungitur, debilia ſunt tenuia inteſtina, & quum haec conualeſcunt, reliquiae morbi in craſſis morantur. Velut autem ſenſim, cum ſanitate, primarum viarum integritas redit, reſidui etiam a morbo vermes ventriculi viciniam fugiunt & in inteſtinorum vltima ſe recipiunt, antequam corpus conualeſcens prorſus deſerunt. Nouis autem illecebris oblatis, inedia iam confecti hoſpites alliciuntur, auide parata fercula appetunt, denuo duodenum & ventriculum verſus adſcendunt, atque adeo omnia mala in priſtinum ſtatum relabuntur.

VI.

Febris mucoſa acuta (3) maligna.

Altera febris mucoſae ſpecies biloſa ſimul eſt putridaque, atque adeo benigna impurior. Vtraque quidem abdominalis, & hoc nomine ad malignitatem prona eſt; altera

altera vero ſpecies per eminentiam mucoſa maligna dici meretur. Limites vtriusque; prouti generatim in morbis; variis ſpeciebus intermediis adeo obfuſcantur, vt ſubinde, tranſitu ex priori in alteram facto, confluant. Facile tamen diſtinguuntur extremi huius ſcalae gradus. Non differunt eſſentia; ſed gradu, vitiorum complexione, pernicie & ſymptomatibus. Semper & haec poſterior grauiores cauſſas, ſiue inquilinae, ſiue externae illae fuerint, ſequitur. Simile fere diſcrimen inter vtramque febris mucoſae ſpeciem intercedit, quo febris intermittens regularis & ſimplex ab intermittente maligna pernicioſa diſtat: atque eodem iure mucoſa maligna degener & corrupta mucoſae proles nuncupari meretur; vel, ſi mauis, *mucoſam acutam* vocabis, *in maiorem perniciem exaltatam*.

Quae inter vtramque ſpeciem medium locum occupat, vtriusque indolis particeps, vermibus maxime fauet; non incondite itaque *febrem acutam verminoſam* vocaueris.

Simili quoque epidemiae tramite, quo febris intermittens maligna, & haec mucoſa pernicioſa caput tunc demum extulit, quum illius genitrix mitior iam per aliquamdiu

diu graſſata & deceſſum molita, ſparſim tantum praedatum adhuc decurrebat.

Caſtra tempeſtiue iis in locis poſuit, quibus ſpurcitie accomodatam & congruam ſibi ſedem offenderat & vbi victimarum copia in promtu erat. Loca magno aegrorum confluxu ſqualida, qualia ſunt noſodochia, prima occupauit; quin ex vno noſocomio, aliquot milliaria diſſito, in alterum transplantata eſt: quare *morbi caſtrenſis* iura nactus eſt morbus. Exinde populabatur per vrbem; pauperum tabernas & ſordida plebeiorum cubilia pulſabat, tandemque in reliquum populum diffuſa ruebat. Nec parcebat, trucidandi auiditate & ſaeuitia ſenſim aucta, qui in noſocomiis ſaepe verſabantur & inter aegros diſcurrebant, medentibus, adminiſtris. Magis prae aliis in praecipiti erant, quibus diſpoſitio domeſtica fuit ad concipiendas febres intermittentes, vel e longinquo, ob labem hepatis, ad febres malignas. Neminem inceſſit, qui autumno proxime praegreſſo febre intermittente qualicumque, bene ſoluta, laborauerat. Semper adoriebatur adultos, raro aetate iuniores, numquam infantes. Memorabile etiam eſt, quod frequentius viris, quam feminis, malum funeſtum fuerit.

Primum quidem ſtadium aliquid inflammatae

matae indolis ſaepe ſibi adiungit, quae ſenſim, facta coctione, ſoluitur nimis in putridam. Vermibus haec maligna ſpecies non fauet, maxime poſt morbi vigorem, ob febrilem procul dubio calorem & putredinem: ſemper tamen, ſi qui adſunt vermes, morbum longe peiorem reddunt, qui in primo ſtadio, febris impatientes, irritando nocent; in altero autem deſtructi, putredinis illuuiem augent.

Certis limitibus febris ambitus non circumſcribitur. Vtplurimum forma acuta ad diem 14, quin 21, protrahitur; quo tempore per criſin qualemcumque ex parte ſoluta, in febrem lentam frequenter tranſit, qua morbi reliquiae ſucceſſiue exturbantur. Incerto termino febris illa lenta ad morbi diem 30, quin vltra, continuatur, atque inceptam coctionem criticam vlterius abſoluit, donec cum valetudine in gratiam redeat aeger. Alios tempeſtiue iugulat, plurimos circa diem 9-14 vel 21.

Anceps in omni aegro & ſummo periculo ſtipatus eſt euentus. Multi aegrorum, potiſſimum in noſocomiis, in quibus haec ſpecies frequentior erat, ſuccumbebant; ex morbo videlicet compoſito. Niſi, praeterlapſo inprimis ſtadio imflammatorio, ad pri-

oris ſpeciei indolem mucoſam ſimplicem reducatur, putredo abdominalis omni adhibita cura quantocyus compeſcatur, & criſis qualiscumque ſalutaris promoueatur; vehementia morbi ad deliria pertinaciſſima, furioſa, vel ſopores grauiſſimos, nullis excitantibus ſuperabiles, extollitur & tunc fere ſemper, facta coctione mala, natura peſſundatur. Duplici modo aegrum iugulat. Alios inflammatio & gangraena abdominalis, modo citiſſima, modo lentior opprimit: in aliis vero ad pulmones decumbit funeſtum malum, quos obſtructione cruda, ſanguinolenta, gangraenoſa, vel ſubito; vel interdum paullo magis cocta, mucoſa, ſcirrhoſa, quin purulenta, lentiori quodam apparatu conſumit. In quamplurimis vtrumque vitium ita copulatur, vt peripneumonicorum mors funeſtum ex abdomine malum ſequatur.

Periculum exanthemata neque tollunt, neque augent. Multi ſine vllo petechiarum veſtigio: alii petechiis optime effloreſcentibus, quin a morte adhuc conſpicuis, e medio tolluntur.

In vniuerſum hanc regulam conſtantem notauimus: ſpeciem benignam ſolo fere tranſitu in hanc alteram putridam fieri funeſtam, & viciſſim ſpeciem hanc perniicioſam

non

non niſi per reditum ad purioris normam in aegri ſalutem corrigi.

Lente etiam aegri perierunt, quibus antiqua viſcerum labes, vel nutrimentum ex praeconcepto relapſus metu detractum fuit, ſcirrho vel vlcere interno, aut externo ampliori & maligno, viribus exhauſti, vel hydrope, vel phthiſi pulmonali, aliaue conſumtione.

Generatim adhuc notaſſe iuuabit, in maligno morbo deſiderari aphthas & tumores pedum, linguae atque oris, quae mucoſo ſimplici competunt: ſed graues artuum dolores ipſi proprii ſunt.

Minus conſpicua ſunt praeliminaria chronica, ac in priori ſpecie; quin interdum nulla penitus ſymptomata morboſa praecedunt. Nihil vel parum mucoſi & rariſſime diarrhoeae quaedam veſtigia obſeruantur: & ſi qua ſcena morboſa chronica notatur, longe breviori ſpatio, ac in priore ſpecie, quin breuiſſimo, abſoluitur. Ceterum ſymptomatum ratione proprior abeſt a prodromo febrium malignarum conſueto. Praecipuum fere ſymptomata eſt laſſitudo cum pondere artuum. Simul deprauata vel abolita ciborum appetentia animique moeror, febrem breui tunc temporis interuallo apparituram praece-

 dunt;

dunt; eoque peiorem, quo mitior primis diebus & magis tecta eſt.

a) Febris mucoſa, acuta, maligna, bilioſa, putrida, ſoporoſa.

Subdolo ſemper initio inceſſit. Alios prima die horripilationibus, ſubinde repetitis; veſperi demum accedente calore; alios viciſſitudine quadam horripilationum & aeſtus fugacis, adoritur. Quid? quod, qui ſani in lectum ſe recipiunt, noctu cum vehementiſſima febre expergeſiunt, arteriarum capitis pulſu & ſiti. Proſternitur appetitus. Debiles ſunt; & laſſi primis quidem diebus interdiu titubantes adhuc obambulant, muniis vero obeundis prae moerore & taedio non vacant. Alternis diebus, vel qualibet veſpera, febrem rurſus ſentiunt lectumque quaerunt: a die demum 4to lectum non deſerunt. Iunguntur vehemens capitis dolor cum vigiliis, intenſa ſitis, ſapor oris amarus, ructus nidoroſi, preſſiones in abdomine, poſt vomitum excitatum cum ructibus ceſſantes, nauſea cum vomendi conatibus & vomitu ſpontaneo, quo reiicitur materia mucoſa, cum pauca bile remixta. Franguntur vires. Haud raro ſimul adſunt dolores artuum ſatis vehementes, noctu grauiores, & veluti

veluti a conquaſſatis partibus nati, laxantibus mitigati, cum ſpasmis lumborum per intervalla ingraueſcentibus. Primis diebus aluus vtplurimum clauſa eſt: quare in imo ventre raro dolores, borborygmi & tormina vrgent; mitiores ſaltem vel nulli, quo magis artus dolent. De nocte multum agitantur phantasmatibus. Vtcumque, ſed criſi praecipitata, morbus quarto die paulisper leuatur, haemorrhagia narium, diarrhoea, vrinae ſedimento, ſed poſthac grauiori impetu ſymptomata recrudeſcunt.

Capitis dolor abhinc vertiginem ſibi adſociat, cum leui a vomitu leuamine. Quibusdam leuis diarrhoea, ſed citra dolores, raro ſudoribus intercipitur: die 6to vtpluri- mum rurſus aliquot vnciae ſanguinis ex naribus ſtillant. Circa eumdem morbi diem prima deliriorum veſtigia, inter ſudores interdum ſatis profuſos notantur. Interdum quidem ſomnus redit, ſed minus reficit, anxiis inſomniis & phantasmatibus turbatus. Effloreſcunt in nonnullis petechiae rubrae, rotundae, roſaceae, inſtar macularum a pulicum morſu, ad brachia, collum, thoracem, crura. Superſtes adhuc capitis pondus & vertiginem, ſed paullo mitiorem, ſeptimo die excipit aurium ſuſurrus, cum audiendi difficultate. Reſpiratio frequens, an-

xia, impedita. Quibus diarrhoea frequens eſt, nulla eſſloreſcunt exanthemata. Interdum vnus vel alter lumbricus aluo redditur. Excrementa haud raro bilioſa, foetentia, cum impetu expelluntur. Qua periodo in aliis exanthemata erumpunt, in reliquis etiam non maculatis gelidiuſcula ſunt extrema ſuperiora, cum aegrorum ſenſatione quadam leuiſſimi frigoris. Floret aliis facies cum oris labiis per omnem morbi decurſum: alii imminente malo euentu, ſub deliriis praecipue, expalleſcunt. Per vomitum ventriculus extricatur fuſcis & viridibus. Noctes inter phantasmata inſomnes & inquietas agunt. Vox querula, debilis, quibusdam humilis eſt. Morbo increſcente vires vlterius franguntur. In aliis poſt capitis & artuum dolores vehementes, ſitim, vigilias & inſomnia delira, nono demum die accedit diarrhoea frequens, cum virium notabili decremento. Vrget tuſſis ſicca, viribus pro elidendo muco deficientibus; ſitis etiam, cum perpetua faucium ſiccitate. Percipiunt interdum circa hoc tempus leuiſſimi frigoris ſenſum, ita vt ſtragulis ſollicite ſeſe obuoluant. Dentes ſqualidi ſunt & fuſci; ſuperiores ſicci. A die 9no in quibusdam frequentia multum increſcit alui profluuium cum virium decremento & artuum ſuperiorum

rum ſub motu tremore. Sedatur circa diem 11mum diarrhoea, vel penitus in aliis ſiccatur, morbusque tunc temporis, audiendi facultate magis deprauata, ad ſurditatem & ſtuporem vsque; diarrhoea mucoſa, critica, cum euphoria aegri modice ſuperſtite; vel tuſſicula humida, ſtertentis laryngis ſtrepitu & expectoratione; ſedimento lacteo vrinae; puſtulis aliquot efflorefcentibus, aliaue criſi qualicumque imperfecta, multum leuatur, aut vtcumque ſoluitur: in aliis, quae ſubſtiterat diarrhoea, critica refluit modice & ſimpliciter mucoſa. Redit placidior ſomnus, & tantillum reſtauratur ciborum appetentia. Sin minus huius periodi molimina critica morbo ſoluendo ſufficiant; coctio in ſubſequens ſtadium criticum differtur, protrahuntur ſymptomata, quin grauiora fiunt.

Capitis nempe pondus manet, augetur per interualla ſitis, pergit reſpiratio frequens, breuis, impedita, cum ſtertentis laryngis ſtrepitu, lacrumae interdum ſtillant inuito aegro, ſordibus obueſtiuntur artus, ſedantur alui deiectiones, nec amplius putridum & bilioſum redolent. Niſi alui expreſſa ſanorum ſimilia fiant, modica diarrhoea ſupereſt, mucoſa, minus moleſta. Noctes fiunt placidiores, & raro inſomniis turbulentis intercipitur quies. Redduntur inter

excrementa lumbrici pauci & emortui, humidior fit tuſſicula. Circa 11mum demum diem puſtulae quaedam purulentae efferuntur, exulcerationes in regione oſſis ſacri, trochanterum, &c. Ex ſitu ſupino nunc aeger deuoluitur in alterutrum latus. Vrina deiicit ſedimentum leue, flauum, copioſum pergit modeſta diarrhoea mucoſa, ſenſim minuta: & febris indoles acuta ſenſim tranſit in lentae ſpeciem, qua vlterius reſidua morboſa euertere natura conatur. Inde a d. 21mo omnia miteſcunt. Producitur coctio lenta, & ſuperato morbo, ſui magis compos factus aeger, nunc demum cum grata quadam perceptione ſentit, ſe graui morbo laboraſſe. Inter bonam ſuppurationem ſenſim redeunt vires, cum ciborum appetentia.

Signa & phaenomena reliqua, pro ſubiectorum & morbi indolis varietate, diuerſa ſunt. *Sanguis* e vena tractus ſub initium (d. 4.) morbi maculis inflammatis, cinereis tegitur; tantillum ſeri ſecedit, pars inferior placentae ex maſſulis coccineis & nigro cruore diffluente mixta eſt. Succeſſu temporis, ſi vena iterum ſecatur, ſanguis aegre & guttatim ad membrum depluit, placenta, ſine cruſta inflammatoria & ſero, patinae arcte adhaeret & ſuperficies coccinea ſplendet. Si

Si ob metaſtaſin ad pulmones tertium vena ſecatur, cruor ſine ſero paſſim modica cruſta renata tegitur. *Sitis* inde ab initio morbi, ad criſin vſque intenſa, ſub incremento, ſiccitate oris & faucium iuncta, protrahitur; morbo decreſcente miteſcit. Vrget ſubinde *tuſſis ſicca*, ſatis frequens, cum defectu virium mucum reiicientium; tempore critico, circa d. 11. 14. 17, humidior fit & leuior cum expectoratione.

Lingua inde a tertio die alba, ſicca, aſpera, ſqualida, cum macula fuſca ad radicem; ſenſim ad apicem & limbos ruberrima, dorſo ſicco, fuſco, nigro; poſt d. 9. humida, muco flaueſcente obducta, ſordida, cum ſulcis profundis; criſi facta, pallidior, humida, pura fit. In aliis ſub ſoporibus primum quidem humida, lata, alba, cum macula fuſca, muco ſqualida; ſenſim vero tremula, ſicca, fuſca, globoſa, vltra dentes ſiccos, ſqualidos, fuſcos, exſeri nequit.

Pulſus primis diebus plenus, durus, frequens; poſt paruus, duriuſculus cum frequentia, interdum debilis. Criſin verſus plenitudo augetur inter modeſtam duritiem & frequentiam: ſub diarrhoea critica paruus, duriuſculus, modice frequens. Quibus ſopores minantur, quinto circiter die, pulſus

ſit celer, durus, non frequens; per interualla rurſus plenus, rarus, non celer, impeditus; rurſus frequens, crepitans, duriusculus. Senſim modice plenus & durus; per viciſſitudines iterum rarus, impeditus; rurſus durus cum frequentia. Sequentibus diebus pleniusculus, durus, inaequalis, intermittens, non frequens. Quum criſis inſtat, plenior, liberior, frequentior ac mollior fit; quum in malam partem vergit, rurſus extenuatur impeditus, cum duritie: debilis demum per longa interualla intermittit. Quoties metaſtaſis in pulmones contingit, pulſus plenus, frequens, modice vndoſus, thoracicus redditur. Deliria furioſa praecedit & comitatur pulſus debilis, diffluens, vacuus, ac ſi, medio arteriae vacuo, vtrimque molle ſanguinis flumen tangeretur.

Quum pernicies metui debet, vrina quarto die obſcura, flaua, limoſa, cum ſedimento albo, mucoſo, & circulo ad marginem, ſenſim recrudeſcit; & ſepoſita, poſtero die demum interdum turbatur, cum ſedimento parco, furfuraceo & circulo. Tandem tenuis, cruda, flaua, non amplius turbata, cum diſperſis ac ſuſpenſis nubeculis; rurſus per interualla turbida parum, ſub finem citra voluntatem effluit.

Simili fere, ſed grauiori, ac ſupra deſcriptus

ſcriptus eſt, apparatu morbi, aegrum mala coctione trucidaturi, primum ſtadium decurrit: ſed inde a nono die peſſima ſymptomata periculum intendunt. Euaneſcit ſuſurrus aurium & redditur audiendi facultas. Diffluunt corporis ſuperiora ſudoribus, & vires adeo infringuntur, vt immobilis ſitu ſupino aeger decumbat. Excrementa fuſca in lectum defluunt, borborygmis non infrequentibus iunctis. Tremunt artus ſuperiores, & lingua globoſa pone dentes ſubſiſtit tremula. Inter ſopores leniter conuelluntur artus ſuperiores, reſpiratio cum ſtertente muco, inaequalis, & difficilis fit. Caligant oculi impuri, ſanie ſordidi, immoti, torui. Facies fit tumidula. Pulſus modo plenus, ſoporoſus eſt; modo paruus, impeditus & intermittens. Subſiliunt tendines. Licet interdum circa diem 11. rurſus quaedam ſpes affulgeat, lingua humida fiat, in alterutrum latus aeger deuoluatur & ſymptomatum vehementia paullo cedat; poſtero tamen die omnia recidunt, & in ſitum ſupinum aeger relabitur. Euigilans ſui vix conſcius eſt, & totum corpus grauitate & inertia quadam opprimitur. Cum facie & labiis floridis, quibusdam ſub ſtadio ſoporoſo tument venae, cum arteriarum pulſu molli & ſoporoſo. Redeunt d. 12. ſopores,

res, conuelluntur artus ſuperiores, potiſſimum maxilla inferior. Laborioſe ſpiritum ducunt profundum; tremit lingua fuſca, ſicca, non vltra dentes exſerenda; & licet veſicatoriorum vlcera optime fluant, omnia tamen ſymptomata ingraueſcunt. Recrudeſcit vrina, conuelluntur cum ſuperioribus nunc quoque inferiora. Grauiſſimo ſopore ſepultus aeger, nullis excitantibus expergefieri poteſt. Aboletur linguae vſus: ſub ſoporibus obſcura & humili voce quaedam obmurmurat, & dum linguam exſerere aut loqui tentat, conuellitur maxilla. Poſt potulenta difficulter & parce deglutita, excitatur ſingultus. Vrina etiam inſcio aegro fluit. Pulſus durus & impeditus extenuatur: reſpiratio frequens, breuis, magisque ſtrepens ita ſublimis fit, vt nonniſi ſcapulis eleuatis ſpiritum ducere aeger queat: tandemque d. vtplurimum 9. 14. linguae vſu prorſus deleto, potulenta cum tuſſi repelluntur. Deiicit veſtimenta, manus ſaepe ante faciem volutat, ac ſi quid venaretur lectumque & ſtragula carpendo prehendit. Extenuatur pulſus debilis & per longa interualla penitus ſilet: ſubſiliunt tendines & vehementius conuelluntur artus. Situ ſupino aeger confectus decumbit, attractis genubus, rictu hiante, oculis apertis, toruis, immobilibus. Tumet

met etiam facies. Augetur ſenſim ſtrepitus congeſti in larynge muci & peripneumonicorum morte moritur. Neque ante, neque poſt obitum, notabilis fuit abdominis inflatio tympanitica; ſaltem longe minor, ac in dyſentericis eſſe ſolebat.

b) Febris mucoſa, acuta, maligna, inflammatoria.

Erant etiam, quibus morbus ſine diarrhoea decurrebat; inflammatae magis, quam putridae indolis particeps; quid? quod obſtructione pertinaci aluus interdum praecludebatur. Nulli vermes redditi, & parum mucoſi iunctum fuit. Initiis, aut febre ſubdola & tecta, aut ex horrore & aeſtu, captis, vox perpetim querula eſt. Poſt vnam vel alteram narium haemorrhagiam modicam, circa ſextum diem efflorefcunt petechiae copioſae, per omnem fere morbum conſtantes, quin a morte adhuc ſuperſtites. Poſtridie, die nempe ſeptimo, in aliis metaſtaſi in pulmones & abhinc larga expectoratione, iuncto ſimul aurium ſuſurru & grauiori ſenſim auditu, morbus leuatur, atque deliria per aliquamdiu ſuſpenduntur, vel ad diem 12 vsque. Alii, beneficio illo naturae deſtituti, eodem die adeo furunt, vt mag-

magnos clamores edant & ſeſe ſuſſurari vel domum, vt aiunt, recipere tentent. Senſim placati aegri tacite delirant, & manus lauare intendunt; demum inter ſopores lectum carpunt, ſtupidi ſunt, querula voce ceſſante. Catarrho tunc morbus leuatur, ſcreatu, tuſſi nariumque fluxu, mucoſis, & poſt aliquam alui ſegnitiem, dolore extremorum arthritico, quibus & olim familiaris & haereditarius fuit, circa d. 18 morbus pedetentim diſſipatur.

In leuiori malo, poſt vomitus ſpontaneos & in pectore puncturas, enata 6to die deliria, inter anxietates & alui ſegnitiem, ſenſim ad maximum furorem euehuntur: nulla tamen efflorescunt exanthemata. Excitato dein vomitu eliduntur materia fuſca mucoſa & vermes; quibus emiſſis mala ſenſim componuntur. Contingit demum inde a 11mo die larga cum tuſſi crebriori expectoratio mucoſa, qua breui temporis ſpatio ſanitas reſtituitur.

In aliis, quibus vena non fuit ſecta, poſt pertinaciſſimam alui obſtructionem, 7 integros dies protactam, ad partem quamdam ex antiqua labe imbellicam, peluim & genitalia, decubuit funeſtum malum atque, urgente vltimis diebus intenſiſſima ſiti, horren.

rendam imi ventris & peluis inflammationem, cum ſanguine multum extrauaſato, inteſtinorum craſſorum & muſculorum gangraena, excitauit. Pridie ante mortem, d. 12-14 ſequutam, aliquid cruoris per anum ſeceſſit.

Non adeo in ſpeciei perniciofae curatione in cenſum venit mucoſum. Indicationes potius referuntur ad analogiam febrium malignarum; habita ſimul originis, cognationis, & iunctae inflammationis ratione. Facile autem medicationis intuitu in triplex ſtadium morbus diſpeſcitur; inflammationis, reſolutionis & criſeos; quibus omnibus aliquid mucoſi iunctum eſt.

Sub initium haud male primis viis proſpicitur vomitorio, interdum repetito; quo impuritates expellantur, muci & bilis deprauatae ſentina auferatur, atque facta commotione pars obſtructionis ſoluatur. Aluus, primis diebus clauſa vtplurimum, laxantibus antiphlogiſticis, ſalino - mannatis, aperitur; & pro ratione inflammationis iunctae primum ſtadium vna vel altera V. S*ne*, diluentibus, atque, refracta doſi propinatis, reſoluentibus antiphlogiſticis, ſalino - nitroſis, cum acidi cuiuſdam vegetabilis pro reſtinguenda ſiti connubio, tranſigitur; indicatione

catione pro S. M*ne* ſemper ex pulſu petita. Si morbi natura mucoſae indolis maiori in gradu particeps eſt, euacuantia etiam abdominalia in progreſſu multum leuaminis afferunt. Poſtquam vomitu materia mucoſa, bilis corrupta & vermes, proiecti ſunt, preſſiones ſaepe atque praecordiorum anxietates leuatas, quin prorſus ſufflaminatas, vidimus. Quo magis vero putredo abdominalis ſeſe euoluit; eo cautius mercandum eſt euacuantibus, & reſoluentibus, tandemque penitus abſtinendum: nihil enim efficacius disponit ad humorum colliquationem, quam iſtiusmodi remedia. Maxima inprimis hoc nomine opus eſt cautione in adminiſtranda V. S*ne*; niſi quidem vires & humorum vbertatem, pro morbo ſuperando neceſſarias *, praecerpere, atque ſymptomata putrida ſummopere intendere velis.

Stadium putridum neque reſoluentia fert, cuiuscumque generis fuerint, neque euacuantia aut antiphlogiſtica ſalina, ſed quae humores diffluentes incraſſant atque conpingunt. Optime prae reliquis omnibus niſus

* cf. Venerandi Senis noſtri, vt in ordine ſuo, ita in vtraque arte Apollinari primarii G. G. RICHTERI Diſſertatio, de coctionum praeſidiis euacuantium vſu euerſis. 1758.

niſus illos in reſolutionem compeſcunt potus acidulatus & acida mineralia multum dulci medicamine, ob mucoſam morbi indolem, temperata atque diluta. Praeclarum ſubinde praeſtitit vſum mannati cuiusdam cum prioribus connubium. Fracta dein ex parte putredinis vehementia, ſenſim pro re nata, ſubiungitur lene anodynum. Egregium in aliis & longe efficaciſſimum acidi mineralis, mannae & opiati miſcela remedium exhibet, ad compeſcendam & corrigendam putredinem bilioſam abdominalem, ſpasmos atque dolores demulcendos, & metaſtaſin illam morboſam in primas vias infringendam.

Pellendis exanthematibus, forſan haeſitantibus, nihil praeſtantius eſt, niſi alui profluuium putridum vel alia colliquatio ab eius vſu abſterreat, quam MRa ſimplex aut ipſa camphora, ſuſpenſa manu & in connubio anodyni, exhibita. Mira etiam hoc nomine interdum vomitoriorum eſt efficacia; inprimis, vbi primarum viarum impuritatibus & inde excitatis ſpasmis naturae molimina opprimuntur, aut corporis commotione, tamquam ſtimulo, opus eſt.

Aluo obſtructae, quae in progreſſu morbi non adeo timenda, quin potius vtpluri-

 mum

mum proficua eſt, magis clysmate, quam laxantibus, ſuccurrimus. Stadio putrido transacto, non male veſicatoria in vſum vocantur, vt naturae via ad moliendam criſin ſternatur, aut artificialis quaedam ſubſtituatur: praematura nocent, ſeriora parum iuvant.

Verſus ſtadium criticum & per omnem reliquum morbi decurſum, mira quaedam, ſpecifica, & non ſatis laudanda corticis peruuiani in extracto eſt efficacia. Aluum blande conſtipat, neruos & partes debilitatas reficit, putredinem & malam coctionem gangraenoſam compeſcit, atque criſin ſalutarem, inprimis purulentam, mira quadam virtute promouet. * Mucus critice congeſtus in primas vias & laryngem, optime ejicitur vomitorio aut laxante, habita temporis critici ratione. Sicubi metaſtaſis critica magis in pulmones vergit, expectoratio blande promoueatur addito prioribus liquiritiae extracto, non neglectis reuellentibus externis & aluum modeſte ducentibus. Reliqua ad normam prioris ſpeciei componantur.

Vbi multum eminet per totum morbum

* cf. Sagaciſſimi de HAEN Rat. medend. in noſocom.

bum inflammatio, ſine memorabili putridi miſcela; cura ad methodum antipleuriticam dirigatur, V. S*bus*, euacuantibus antiphlogiſticis, nitroſis, camphoratis aliisque reſoluentibus, non neglectis tamen, que mucoſi connubio debentur.

Generatim morbo diuerſimodo mixto & mixta medendi methodus accommodari debet.

Victus ſemper ſit blandus & demulcens, primis ſtadiis pauper & vegetabilis. Saepius enim notatum eſt, vel a ſolis carnium iusculis omnia peiora reddi, febrem exaſperari, atque ſaburram putridam manifeſto augeri; quin ſunt, qui prae faſtidio omnem victum animalem tunc abhorrent. Decreſcente autem morbo, quae blande nutriunt atque ab imbecilli adhuc ventriculo facile ſubiguntur, non ſolum pedetentim concedenda ſunt; ſed vtplurimum ipſe vſus poſtulat, vt exhauſtum & confectum corpus nutrientibus reficiatur, & humorum dispendium reſarciatur. Quid? quod ſi per ſtrictam nimis diaetam naturae molimina critica his ſubſidiis deſtituuntur, nec humorum maſſa nouo ſubinde chyli blandi affluxu demulcetur; laudabilis craſis, licet ex voto natura huc vsque ſuperauerit morbum, denuo diſſoluitur, ſalutaris coctio

 ſubuer-

ſubuertitur, ſaltem ita differtur, vt vel nulla criſi ſubſequente, aeger relabatur, vel ſequioris notae criſis lento naturae conamine ſuccedat, & diu protracta valetudine, ſero demum redeat corporis vigor. Multoties & ad taedium vsque vidimus, miſerorum ſortem lugentes, ex male intellectis regulis diaeteticis, peſſime aegrorum ſaluti fuiſſe proſpectum. Ex ſola enim nutritionis penuria multi conualeſcentium perierunt, minus ſtricta diaeta certiſſime ſeruandi. Colligit vtcumque natura, per varios relapſus, vires, victu non ſuffultas & perficiendae criſi laudabili non ſuffecturas, nouam febrem accendit, nouis moliminibus morbi reliquias expellere conatur; vtplurimum tamen ſcopo excidit, dum aucta ſemper medentium circumſpectione, aegris languentibus nutrimenta deducuntur. Tandem poſt varia tentamina ſuccumbit natura & morbo ac fame confectis phthiſico modo eſt pereundum. Multum accelerat triſte illud fatum vulnus aut vlcus iunctum, quo citius, puris male cocti profluuio, exhauſti obeunt. Pauci, ventriculo magis, quam medentibus obtemperantes, dum clanculum ſibi proſpiciebant, feliciter euaſerunt.

VII.

VII.

Tertia morbi mucoſi ſpecies, lenta.

Quam ſenſu latiori *lentam* nuncupauimus, morbi mucoſi ſpecies ſolos fere prehendit infantes inter 2 & 14 annum verſantes. Aggreditur potiſſimum illos, qui ſub initium hiemis ſcabie, nunc ſuppreſſa, laborarunt. Leue & ſanabile in aliis eſt; in aliis leue etiam prima ſpecie malum, aucto pedetentim periculo, blanditias large compenſat.

Mitiori ſemper febri iuncta eſt *ſpecies lenta leuior*, quin interdum ſine notabili febre decurrit; neque certo typo adſtringitur febricula, ſed erratica per interualla exacerbatur, iterumque ſupprimitur. Quae ſane chronici morbi mucoſi febrisque benignae in adultis ratio eſt ad febrem mucoſam, malignam; ea pariter obſeruatur inter leuiorem morbum lentum, mucoſum in infantibus, atque longam febrem pernicioſam. Symptomata, ſi vehementia excipiatur, eadem ſunt in leuiori ſpecie lenta, grauiorique; ſed hanc notabilis febris comitatur.

Leuius habent puſiones lactentes &, quod memorabile eſt, aphtharum & vermi-

um abſcedentium expertes manent: mitiora etiam ſymptomata, ſimpliciter fere chronica, experiuntur infantes adultiores, quibus externa quaedam criſis perpetua, morbi vim infringens, vti ophthalmia, contingit.

Auſpicatur morbus, ſi qua febricula obſeruatur, leuiori frigore, appetitu inordinato, per interualla plane abolito, ita vt petita dum porriguntur, faſtidiant, vbera tamen lubenter ſugant. In aliis conſtans per omnem morbum manet ciborum appetentia. In pleriſque inde ab initio per omnem morbum abdomen eſt inflatum cum duritie atque ſubinde, cum intenſa ſiti, ſapor amarus, frequens diarrhoea mucoſa & ab aſſumto cibo preſſiones in abdomine vrgent, iuncto in quibusdam aeſtu febrili cum capitis dolore. In quibusdam, dum morbus iunior eſt, prodeunt vermes. Haud raro in morbi decurſu interdiu accedunt horripilationes aeſtusque fugaces cum capitis dolore, per interualla exaſperato; interdum etiam nouum frigus cum inſequente calore. Linguam vtplurimum obſident aphthae, atque cum magno cruciatu exulcerantur gingiuae dolentes, iuncta linguae excoriatione. Subinde pruriunt nares, rubet facies, citra voluntatem deſtillant lacrumae atque pauoribus turbatur ſomnus. Remediis vomitu extur-

turbatur materia mucoſa, cum admiſta interdum bile pauca. Accedit etiam tuſſis, cum puſionis inquietudine & aeſtu febrili exaſperata. Nihil ſimulacrorum pleuriticorum adeſt, neque artuum dolores, neque vomitus ſpontaneus, neque ſudores vrgent. Ceſſat verſus ſtadium criticum diarrhoea, redit ſenſim appetitus, & in puſionibus lactentibus enato pedum circa malleolos & tarſum tumore oedematoſo; apud alios puſtulis ſcabioſis cum ambitu rubente, tertia vel quarta demum hebdomade morbus diſſipatur.

Lingua glabra, rubra, ſubſicca, pura, verſus radicem muco albo tegitur; dein contracta, acuta, glabra corii inſtar, euadit; rurſus lata, glabra, pallide rubra, pura, humida. Pulſus plenus eſt, duriuſculus, modice frequens; ſenſim paruus, modice celer, frequens. Vrina pauca, flaua, ſubpellucida, cum nubecula & circulo; deinceps turbida, ſedimentum ex albo rubellum deiicit; ſub finem copioſa redditur, cum ſedimento mucoſo, leui.

Aliis, ſine febre initiali, ſaltem ab aegris notata, aliquamdiu aluus fluit, qua denuo exſiccata, inflammantur cum palpebris tumentibus oculi, multum ſeri tenuis fundunt, ſenſim ſpiſſioris & in ſpeciem puris

 mutati.

mutati. Soluta iterum fluxaque aluus cum vagante circa vmbilicum dolore ophthalmiam mitigat. Indureſcit inflatum abdomen & ſuſcitatur tuſſicula, ſucceſſu temporis ſedatior, cum muco in faucibus collecto. Largior etiam aphtharum ſeges late proſerpit. Accenditur poſt aliquot hebdomades notabilis febricula, ephemera vel nocturna, quam excipit vna vel altera puſtula cum ophthalmiae incremento tardioreque aluo. Senſim, cum variis diarrhoeae viciſſitudinibus, abſcedit vis trichuridum & dolent gingiuae. Sopitis demum abdominis doloribus, diarrhoea aliquamdiu continuatur, donec aliquoties hactenus exaſperata ophthalmia, elapſa 6ta hebdomade, cum ipſo morbo cedat.

Analoga, in curatione cum prima & ſecunda morbi mucoſi ſpecie, medendi methodus ſeruanda eſt, ex ſuperioribus petenda, non neglecta ſimul, quae febri debetur, cautione. Proficua fuere in lento infantum, ſine notabili febre, malo, mercurialia, inprimis mercurius dulcis in connubio rhei & camphorae; viuus etiam ſaccharo ſubactus, vel in tenerioribus aethiops quidam cum ſyrupi laxantis miſcela. Alia anthelmintica ex amarorum claſſe, vt ſantonici ſemen, conſerua abſinthii &c., ſine additamento mercurii, effectum vtplurimum denegarunt.

Gene-

Generatim vermes raro in caſu obtemperarunt remediis; ſaepius, critico molimine expulſi, corpus deſeruerunt citra vllum anthelminticum adhibitum.

Vomitum laceſſiuimus electuario vel decocto ex ipecacuanha cum ſyrupo cichorei, vel mannato, oxymelle ſquillitico, aut, tenellorum palato indulgentes, ſyrupo emetico; remediis per epicraſin propinatis.

Ciendae aluo modo laxans quoddam demulcens, mannatum, modo emulſionem ialappinam aut ipſum rheum, in morbo videlicet minus bilioſo, varia forma cum ſucceſſu accommodauimus.

Camphoratorum, praecipue infringendo mercurio adiectorum, vel in forma emulſionum adminiſtratorum, & in hac morbi ſpecie eximia fuit efficacia.

Spem fefellerunt reſoluentia ſalina, kermes minerale & huius generis alia, ſtimulo laedentia. Febris accenſa ſibi vtcunque vindicauit methodum febri mucoſae analogam.

Funeſtus maxime morbus erat animo deiectis, moroſis, taciturnis, pauperibus, male nutritis, in humidum & ſordidum lo-

cum congeſtis, & ad phthiſin aptis. Duplici modo ſeſe prodit. In priori ſpecie notabilior & diſtinctior eſt febris continua longa, ſiue coctrix; diſtinctiores induciae inter hanc mediae & ſequentem febrem lentam, ſiue phthiſicam, quae ipſa frigore ſuo notatur. In poſteriori ſpecie ſubdola febris longa eſt & leuiores induciae, quae breuiorem febrem phthiſicam, ſine frigore natam, a longa ſeiungunt. Haec altera in illis potiſſimum obſeruata eſt, quibus ex repreſſa ſcabie foedatum erat viſcus. Dum natura, tandem proſtrata, eluctari variis criſibus conatur, in plures hebdomades, quin menſes, morbus protrahitur. Qui pereunt, phthiſicorum morte, vtplurimum circa 8vam, 11mam vel 12mam hebdomadem, exſtinguuntur.

Stadium chronicum initiale ſimile eſt prodromo chronico febris mucoſae ſupra deſcripto. Labaſcit appetitus, cum preſſione in ventriculo ab aſſumtis cibis: interdum auide appetunt, acceptosque cibos ſtatim faſtidiunt. Saepius quoque ab ingeſtis excitatur vomitus.

Adoritur vtplurimum *continua longa* frigore veſpertino, triduum, quin vltra, repetito; interdum & ſine notabili frigore. Pro-

Proſternitur appetitus; dolet ſub initium caput, inde per omnem morbum indolens; ſitis autem intenſa, raro remittens, morbi perpetua comes eſt. Frigent pedes, vomitu eiiciuntur lumbrici, orthoſtadios praecipue aegros nauſea & vomitus infeſtat. Alternis diebus interdum leuius habent, ſine regula & typo conſtante. Accedit dein tuſſicula abdominalis varia, ſicca, per interualla, inprimis appropinquante morte, exaſperata. Ingraueſcunt in imo ventre dolores, ſenſim inflatur abdomen cum duritie, ſubſequitur diarrhoea, & ſaepius cum excrementis prodeunt vermes. Multum algent aegri atque de debilitate & corporis ad motum inertia queruntur. Licet per interualla extra lectum verſentur, extenuatum tamen corpus ſemper prope fornacem ſedentes fouent. Tempore incerto, aliis haud ita procul ab initio, aliis demum aliquot hebdomades ante mortem, intumeſcunt pedes, primum circa malleolos & tarſum, tumore, per interualla paulo ſubſidente, verſus mortem aucto, & in cadaueribus adhuc ſuperſtite, oedematoſo. Subinde in progreſſu morbi, incerta tamen periodo, horroribus & frigore febrili corripiuntur, & licet ad contactum caleant membra, de frigore tamen querelas fundunt aegri. Inde a primis horroribus ſenſim notabi-

tabiliter emaciatur corpus cum virium ea iactura, vt poſt aliquod tempus lecto amplius carere nequeant. Neque capitis dolor, neque aeſtus notabilis algoribus ſuccedit. Nihil ex tinea & coryza emolumenti proficiſcitur: tuſſis quoque, aliquando humida, rurſus exareſcit. Poſt aliquot horrores, frigora, diarrhoeam & imi ventris dolores tantisper ſedatiores, exoritur oris, dentium & gingiuarum dolor cum ſaliuae profluuio; effloreſcunt aphthae in lingua & omni oris interni ſuperficie; quae auctae ſenſim numero latiores fiunt, dehiſcunt, obſcure flaueſcentes, nonnullae in vlcera profunda degenerant, ſimulque linqua aliquando muco tegitur craſſo, flaueſcente. Aphthis ſeſe aſſociant cruciatus atque dolores pungentes, lancinantes in ore, noctu inprimis ingraueſcentes cum ſubſequente oris interni excoriatione, quin veris vlceribus. * Viget in nonnullis appetitus, ſed oris dolor maſticationem vetat. Intumeſcunt aliis, circa quintam morbi hebdomadem, ſimul genae, & os ape-

* Natura aphtharum carcinodes eſt. Quod ſi itaque nimium proſerpunt, paratum in illis fermentum carcinodes per circulum in maſſam ſanguinis recipitur, & ad lentam humorum reſolutionem cum reliquis cauſſis ſuam etiam ſymbolam confert.

aperire nequeunt, tumore poſt octiduum rurſus diſſipato. Laeſa tumore iſto reſpiratio fit profunda, vox multum querula. Prodeunt cum excrementis lumbrici, atque inter ſuppurationem vlcerum aphthoſorum parum ſubſidet abdomen. Redeunt per interualla imi ventris dolores, ſine diarrhoea iuncta. Ab aliis, inter excrementa mollia & flaua redduntur glebulae pingues, veram pinguedinem mentientes. Frigent aegri, dum e lecto ſurgunt, tremunt, atque prae debilitate ſemet ipſos ſuſtinere nequeunt. Inter vlcera, aphtae magnae gingiuas quoque atque palatum occupant. Oborta oris haemorrhagia, poſtridie reduce, ex gingiuis profluens ſanguis in thrombos extrahendos coit. Abhinc oris dolor paullo leuatur. Ab vmbilico magis inferiora verſus deſcendunt imi ventris dolores, abdomine ſimul duro, ad contactum dolente. Sopiuntur, poſt excretos diarrhoea & vomitu vermes, dolores, ſubſidens abdomen emollitur, euaneſcit pedum tumor. Per interualla, poſt quasdam inducias, rurſus exaſperantur oris dolores, cum tenuis ſaliuae effluxu.

Redit inde melioris valetudinis ſpes, eleuatur pulſus, ceſſat per interualla diarrhoea & ſitis, auide appetunt cibos, viresque vtcumque reſtaurantur, quin noctu contingit

tingit vnus alterue ſudor copioſus: ſed brevi rurſus omnia concidunt. Oborta enim *frigore aliquoties repetito*, cum ſubſequente calore, facie florida & ſiti, vel intermixtis aeſtubus fugacibus, abdomen denuo inflatur, dolore ſimul acerbo reduce: rurſus intumeſcunt pedes, tactu dolentes & ſubito prorſus aboletur appetitus. Indureſcit imus venter, redit bulimia, abſcedunt inter alui deiectiones frequentes lumbrici, extenuatur pulſus, proſternuntur vires. In aliis, aliquot hebdomades ante mortem, faciem, potiſſimum circa palpebras, occupat tumor cachecticus, interdum parum ſubſidens, ad finem vsque conſtans. Redeunt aphtae ita, vt linguam exſerere prae dolore nequeant. Valde extenuatur corpus, viribus prorſus ſufflaminatis. Sponte effluunt excrementa fuſca, & inter *diarrhoeam frequentem* cum teneſmis *prolabitur anus.* Soporoſi, rictu aperto, dentibus ſiccis, & facie hipocratica, ſupini decumbentes attrahunt genua. Collabitur demum, quin introrſum *contrahitur abdomen.* Maxima difficultate ſpiritum, per longa interualla intermittentem, ducunt, iuncto ſimul, a muci in larynge collecti vi, ſtrepitu. Poſt artuum ſuperiorum maxillaeque conuulſiones, tandem exſoluuntur.

Dolores in abdomine, vt in febre acuta, vagan-

vagantur, praecipue in regione coli tranſverſi, leues ſunt ab initio & obtuſi; in progreſſu morbi & ſub tuſſi multum exaſperantur atque diutius protrahuntur; ſemper fere deiectiones aluinas praecedunt, interdum cum borborygmis. Ceterum quaedam illorum cum doloribus oris eſt viciſſitudo. *Vermes* vario tempore prodeunt: ſaepius ſua ſponte, aut cum deiectione aluina; interdum vomitu aut ſub tuſſicula vehementiori.

Pulſus paruus & durus eſt, per omnem morbi decurſum fere frequens. Raro frequentia per interualla deſideratur. Subinde quoque, primo praeſertim ſtadio & verſus morbi finem, celer cum frequentia & duritie. Raro interuallo plenus fit; ſed breui rurſus extenuatur, ſenſim debilis ac tenuis cum modica frequentia ad finem decurrit. Praeter aphthas & vlcera, *lingua* fere ſemper glabra, pallide rubra, pura, humida, laxa; in quibusdam ſubſicca, ad radicem alba, vel muco craſſo flaueſcente obducta deprehenditur; verſus finem pone dentes ſubſiſtit. Subinde etiam papillae fungoſae ſunt conſpicuae. *Vrina* tenuis eſt, aquoſa, citrina; ſenſim rubella, craſſa, ſubpellucida, fere ſemper cruda.

In

In altera ſpecie ſtatim ab initio adeſt diarrhoea cum abdominis inflatione ac duritie, dolore & torminibus. Protinus etiam iungitur tuſſicula abdominalis ſicca, pedumque dolentium tumor. Saepius quidem aegros adoritur frigus veſpertinum, ſed leuior externa ſpecie febris ſequitur. Deficit appetitus, impetit nauſea. Vomitoria exturbant materiam mucoſam, tenacem, bile demum remixtam; in progreſſu morbi obſcure flauam, mucoſam, bilioſam, tenacem, craſſam, immixtis ſubinde lumbricis. Sopiuntur per interualla abdominis dolores & ipſa diarrhoea. Accenditur ſitis, per omnem morbum fere conſtans. Viribus oppreſſis ſenſim extenuatur corpus. Effertur oris tumor cum ſaliuae effluxu & loquela ac deglutitione impeditis. Dolent ſimul gingiuae, vt prae dolore nec os claudere nec linguam exſerere poſſint. Obſidentur labia interna aphthis confluentibus: ſenſim pars commutatur in magnum vlcus, liquorem graueolentem fundens, cum ſapore deprauato. Parum nonnunquam ſubſidet oris pedumqne tumor. Noctes ſaepius inquietae, inſomnes. Micat interdum ciborum, tenuium inprimis appetentia; ſaepe tamen nauſea cum vomitu ſpontaneo, & in ſitu erecto vertigines adſunt cum vomendi

di conatu. A meridie, ſed rariſſime, dolor quidam capitis ſentitur. Tuſſis interdum humida fit, & vis muci reiicitur; breui tamen rurſus exſiccatur. Dolores in imo ventre circa vmbilicum grauiores ſemper cum borborygmis praecedunt diarrhoeam mucoſam frequentem: poſtmodum cum excrementis merus ſecedit ſanguis. Interdiu ſomnolenti ſaepe & parum ſudant. Frequens vrget tuſſis; increbeſcit diarrhoea ſanguinolenta; emaciatur corpus, tument pedes; molle tamen euadit abdomen. Raro de nocte accenditur calor cum ſiti & inquietudine. Inter ſummam virium fracturam & adſpectum hippocraticum, diarrhoea fit foetidiſſima, excrementis magno cum impetu expulſis.

Licet paullo vegetior adſpectus cum rubore genarum redeat, diarrhoea ceſſet, & aegri appetentia paullo reſipiſcat: breui tamen omnia relabuntur. Facies expalleſcit in hippocraticam, redit diarrhoea putrida cum doloribus & tuſſi. Reſpiratio fit frequens, profunda; pulſus celer, multum frequens, adeo debilis, vt tactum fere fugiat; lacrymantur oculi. Sub tuſſi indies frequentiori & grauiori, ſtrepitus muci in larynge, & pectoris dolores pungentes, iuncta ſimul reſpiratione difficili, ſtertoroſa, ſenſim intermittente, ſublimi. Abolentur loquela & de-

glutio, & ſupini decumbentes aegri, attractis genubus, inter varias corporis conuulſiones, octaua vtplurimum hebdomade, animam efflant.

Pulſus paruus, duriusculus, vt plurimum tenuis & frequens; raro per interualla fit pleniusculus. Celeritas & durities eſt inconſtans. Morbo prouectiori pulſus admodum extenuatur, ſucceſſiue fit debiliſſimus, celer, durus; ſub finem multum frequens. Raro ſub morbi decurſum frequentia deſideratur.

Lingua pallide rubra, lata, humida, tenui muco albo tecta; ſenſim verſus radicem ſicca, albeſcens, rurſus muco tecta; dein pura, cum papillis eleuatis rubris. Poſtea contracta, pallida, parum flaueſcens, humida, pura; ſub finem tota expalleſcit, ceterum glabra, pura.

Vrina flaua ſ. rubella, pellucida, vtplurimum cruda; ſenſim rubra, pauca; raro craſſa, opaca; raro etiam cum nubecula tenui diſperſa.

Aliis ſaepe pruriunt nares. Abdomen molle manet, neque inflatur: nec aphtharum quidquam ſe prodit. Tuſſis ceterum & diarrhoea frequens, ſubinde cum lumbricis.

Iun-

Iunguntur interdum lumborum dolores & ſitis intenſa. Tuſſis interdum humida cum coryza. Haud raro queruli ſunt aegri, ſomnolenti. Per interualla dolores imi ventris ingraueſcunt. Subinde ſponte migrant lumbrici. Viribus demum exhauſtis, tuſſi frequenti & diarrhoea, circa octauam morbi hebdomadem, vrgente ſubito alui ſtimulo, inter manus adminiſtri, aut alio modo, corpore non conuulſo, placide exſpirant. Cetera fere vt in ſpecie praecedente b).

Plenior ſolet eſſe pulſus, ac in prioribus lentae ſpeciebus, minor tamen frequentia aut celeritas iungitur. Sub finem pulſus fit tenuis, celer & frequens. In aliis interdum multum frequens, plenus & durus, verſus mortem debilis fit cum celeritate atque frequentia. Pallide rubra lingua verſus radicem muco obſcure flauo tegitur; ſenſim humida glabra, vt ante, mucoſa; ſub finem contracta, rubra, pura.

Symptomata quidem deſcriptae *ſpeciei grauioris* ad phthiſicam morbi indolem nos ducunt; obſtinacia, quae omnibus remediis illudit; corporis extenuatio; phaenomena in cadaueribus obuia. Scorbuti adulterium palam faciunt ſymptomata gingiuarum aphthoſa, haemorrhagiae, vlcera maligna, do-

lores artuum, exanthemata extremitatum inferiorum, a morte adhuc conſpicua. Cum humoribus autem mucoſis ſimul peccant corporis nobiliora fluida. Peruertitur inprimis laudabilis indoles fluidi nutritii, excitatur motus inteſtinus, fermentationi, (ſi ita vocare fas eſt) analogus, qui per reſolutionem lentam corpori nutrimentum ſubtrahit. Fluido quidem mucoſo corpus defraudatur per vberrimas excretiones mucoſas; gelatinoſo nutriente per vermes, vlcera, congeſtiones criticas, ſcirrhoſas, purulentas ipſamque lympham, in telam celluloſam & corporis caua collectam. Ita fit, vt cadauerum primae viae & pulmones muco affluant, folliculi mucoſi turgeant, vermes vtriusque generis copioſi, inprimis lumbricorum glomera, obſeruentur; porro viſcerum farctura cruda, ſcirrhorum variorum congeries in abdomine & thorace, puris ſecreti in abdominis cauo veſtigia atque veſiculae & ſacci, pure plus minus cocto turgidi in pulmonibus, nec non gangraenae lentae internae, maxime ad tunicam villoſam phaenomena. Maior etiam vis morbi eſt, quod nota atque conſueta remedia anthelmintica, reſoluentia, quin ipſa demulcentia & anodynu malum potius augeant, quam infringunt.

In *malo* vero *ſanabili* vitium in ſolis fluidis

dis mucoſis ſubſiſtit, remediisque obtemperat. Quodſi forſan nobiliora fluida ſimul inficit, ſaltem mitius illa habet, neque viſcera, antea pura, laedit. Ita victrix natura poſt laudabilem coctionem vitioſos humores corpore expellit.

VIII.

Quarta morbi mucoſi ſpecies, acceſſoria.

Eſt etiam morbi mucoſi quaedam ſpecies *acceſſoria* quae, aliis affectionibus primariis characteres ſuos impertit. Fomitis inſtar ſuſcipiendo morbo mucoſo fauent grauiditas, puerperium, & vulnera. Morbi etiam chronici omnes ac ſinguli in naturam epidemiae formantur: prae reliquis vitia hepatis, lienis & pulmonum inueterata; frequentiſſime hydrops, morbi phthiſici, lues venerea. Haud raro quoque miasma epidemicum ſeſe adſociauit malo hyſterico, hypochondriaco, affectionibus colicis, & rhachitidi; quid quod omnis fere morbus plus minus ex epidemiae ſpoliis aliquid reportauit, licet ex ſua natura a ſtatu epidemico longe alienus fuerit. Non ſolum varia ſymptomata adulterina in eiusmodi morbi primarii decurſu, ſed euidentius defunctorum ſectiones epidemici conſortium teſtabantur.

Longe maiori periculo ſtipatus ſemper fuit morbus eiusmodi compoſitus, prae ſimplici ſiue primario; quin varii morbi, per ſe ſanabiles, per epidemici mucoſi connubium eo fuerunt peruerſi atque rebelles, vt vel acuto modo aegrum e medio ſuſtulerint, vel in phthiſin lethalem degenerauerint. Translata denique vltima morbi mucoſi veſtigia ſunt ad ipſos morbos acutos ſubſequentis conſtitutionis varioloſae * & pleuriticae.

In grauiditate morbi mucoſi connubium multis termino incerto, excitauit abortum aut partum praematurum. Accenſa nempe, poſt varios horrores, febre magna, oborti ſunt dolores capitis, dorſi, extremitatum & hypochondriorum cum anxietatibus circa praecordia; ardor quoque vehemens in abdomine, vomitu ſpontaneo interdum iuncto. Semper ſitis intenſiſſima atque perpetua vrſit. Poſt debiles dein ad partum dolores, die 6 vel 9no morbi, foetus citra difficultatem fuit excluſus. Inde ſequutum eſt ſatellitium ſymptomatum, ex morbo abdominali mucoſo & vteri inflammatione compoſitum. Paucae euaſerunt. Vtplurimum gangraena abdominali, inteſtinorum vteriue, breui

* vid. diſſ. de morbo varioloſo. pag. 22. 23, &c.

breui a partu perierunt. In defunctorum cadaueribus, diu calentibus & citiſſima putredine inflatis, lumbricorum, interdum trichuridum copiam, in inteſtinis deprehendimus. Vis muci viſcidi aegre abſtergendi & pertinaciter adhaerentis, obduxit ventriculi ſuperficiem internam. Inteſtina multa bile conſpurcata & villi tenuium flauedine non abſtergenda imbuti erant. Mollis vtplurimum lien, immenſae interdum molis; molle etiam hepar acinoſum & copioſa bilis craſſa in cyſtide fellea. Multum inflammationis gangraenoſae occupat ventriculum, meſenterium, & inteſtina coeruleſcentia, paſſim conſtricta.

Memorabile eſt, ipſum foetum, mortuum ſemper, morbi matris eſſe participem. Adſunt enim inflammationes abdominales, ſtricturae inteſtinorum, hepar diſtincte acinoſum, liuore variegatum; materiae mucoſae ingens vis ventriculo & inteſtinorum canali pertinaciter adhaeret; ſuperficies interna omnisque villoſa intenſe inflammata, copioſiſſimis folliculis mucoſis prominulis, in duodeno praecipue, conſperſa, eo rarioribus, quo pars a duodeno eſt remotior.

In quibusdam vna cum grauiditate adfuit morbus quidam chronicus cum accedente demum mucoſo. Quare ſymptomata ae-

que ac ipſa in cadaueribus phaenomena ex triplici iſta affectione compoſita apparuere. Calculi praecipue bronchiales, ſcirrhi, exulcerationes & concrementa calculoſa in ipſa pulmonum ſubſtantia; glandulae bronchiales deprauatae, nigrae, induratae; glandula thyreoidea ſtrumoſa, veſiculis gelatinoſis ſcatens, aliaque vitia chronica ſunt oblata.

In puerperio morbi mucoſi miſcela manifeſtabatur aphthis copioſis mamillarum & dolentibus, ſymptomatibus pleuriticis, ſiti, diarrhoea, tumore mammarum, pedum oedemate dolente ad abdomen vsque adſcendente & in iſchiaricum malum transeunte.

Vulnerati, quouis modo, omnes fere, licet antea fuerint ſaniſſimi, ex mucoſi epidemici connubio citius lentiusue ſuccubuerunt. Pro grauitate vulneris accenditur febris acuta, ex inflammatione paratur pus mali moris, foetens, ichoroſum, ſequitur gangraena, iuncto ſimul ſymptomatum febris mucoſae acutae malignae, plus minus bilioſae, inflammatoriae, putridae, ſatellitio. Eructant vermes, eiiciunt mucum bile remixtum, naſcitur aurium ſuſurrus, tuſſis abdominalis, & quae ſunt reliqua. Licet interdum

dum ex febre eluctentur, vulnera tamen aperta manent, denuo miasma ex aere attrahunt, atque adeo per plures relapſus in febrem lentam morbus degenerat. Haud raro etiam febris inde ab initio lentam indolem redolet, mucoſae lentae analogam. Accedunt tuſſis abdominalis, dolores in imo ventre adeo atroces, praecipue in regione coli transuerſi, vt ſubinde prae cruciatu exclament, frequens ad deſidendum ſtimulus, excernitur materia mucoſa, bilioſa, ſub finem putrida, quin interdum cruenta, admiſtis vtriusque generis vermibus. Nec raro iungitur tumor pedum oedematoſus. Marceſcit corpus. Sopitos demum dolores abdominales excipit ſopor, & lento modo facta gangraena in imo ventre vel farctura pulmonum aegri iugulantur. Eadem fere ſors fuit praefectorum in vrbe ex vulneribus aegrotantium, ac militis gregarii in noſocomiis. Non temere quisquam vel leue quoddam vulnus, per ſe in corpore ſano facile coaliturum, ſiue ex infortunio, ſiue operatoris manu inflictum, ſuſtinuit, quin accedente febre mucoſa in discrimine vitae fuerit verſatus. Puris enim indole maligna vulneris conglutinatio impeditur, atque pus male coctum veluti fermentum eſt, quo miasma contagioſum ad omnes humo-

 res

res transuehitur, laudabilis & vegetus vulneris habitus perit, humorum craſis ita deſtruitur, vt tandem in colliquationem ruant. Sub operatione, aut ex vena ſecta profluit tenuis ſanguis, ingrate ruber, leuiter fuſcus, laudabili indole gelatinoſa, glutine & conſiſtentia deſtitutus, diffluens; iuſto dilutior. Aegre coit in placentam multo ſero circumfuſam, tenui cruſta inflammatoria tectam. Ipſa vulnuſcula phlebotomo inflicta aegre conſolidantur & poſt plures dies madida labia vulnuſculi adhuc dehiſcunt.

Maximo prae reliquis periculo ſtipata ſunt vulnera abdominalia; magnam enim vim ſeri ſanguinolenti fundunt, cum inſequente citiſſima gangraena atque humorum reſolutione. Accenditur nempe febris inflammatoria abdominalis, cum artuum dolore, tuſſi parum mucoſa & ſiti, inflatur abdomen & dolet, agitatur ſpiritus, oboritur ſingultus, vomituritio, ſudores circa ſuperiora, deliria cum querimoniis anxiis. Lingua tremula alba obſita eſt conſpicuis papillis albis. Hebeſcunt ſenſus, tinniunt aures, vox querula eſt, rauca & velox; adſpectus fit pallidus, hippocraticus. Pulſus, ſub initium plenus & frequens, extenuatur cum debilitate perpetim increſcente. Diſpergitur odor gangraenoſus in conclaui, creſcit abdomi-

dominis eleuatio; reſpiratio fit anhela, profunda, ſuſpirioſa, velox; cum vehementia cubile commutare deſiderant aegri; vngulis abradunt ſordes, aut ſemel iterumue manus lauant. Caligant ſub finem inter ſudores colliquatiuos oculi torui, effluunt excrementa, perit calor naturalis extremorum & abdominis, leuiſſime demum conuulſi, vel ſaltem corpore exporrecti, placide exſpirant.

Quae hydropi ſeſe adſociant, morbi mucoſi veſtigia, propius accedunt ad indolem febris mucoſae lentae; quin interdum ex morbo mucoſo praegreſſo originem critico modo trahit hydrops. Poſtquam enim per plures hebdomades fluxu ventris laborarunt, diarrhoeam ſubſiſtentem excipit hydrops vtriusque generis, primum faciem, dein abdomen, tandemque pedes occupans. Paſſim, inter conſueta hydrops ſymptomata, tuſſim, ſitim, debilitatem, appetitum proſtratum &c. excoriatur cutis, ad modum intertriginis gangraenoſae, & aqua copioſa, ſubpurulenta, acris, vndiquaque exſudat, corpore vbiuis ad contactum leuiſſimum dolente. Redit demum diarrhoea atque inter excrementa prodeunt vermes. In aliis iunguntur tuſſis ſpaſtica, vehemens; dolores in abdomine, lingua muco obducta, papillis albis eleuatis obſita, frigora matutina & tumor,

mor, qui ex inflatione partium inferiorum incipiens, ſenſim verſus ſuperiora adſcendit. Flacceſcunt ſub finem partes oedematoſae, tumore in ſolis pedibus ſuperſtite. Deglutiendi facultate tandem penitus abolita atque aborto foetore cadaueroſo, exſoluuntur. In cadaueribus plurimi lumbrici, hepar acinoſum, villoſa ventriculi inflammata facile abſtergenda, materia mucoſa bilioſa in inteſtinis tenuibus ipſaque folliculorum mucoſorum veſtigia morbi mucoſi connubium ſatis arguunt.

Phthiſi pulmonali praeter reliqua ſymptomata thoracica conſueta acceſſerunt per morbi mucoſi connubium tumor pedum oedematoſus, ſplendens, dolens, exanthemata ſcabioſa ſicca, veſiculae paruae aphthodes in ore & faucibus, labium oris exulceratum atque perpetuus fluxus ventris gelatinoſus, colliquatiuus, nec non profuſi per interualla ſudores.

Affectionem quoque colicam hypochondriacis familiarem comitatur mucoſum. Preſſionis dolorem ſentiunt in directione coli transuerſi, qui redit aliquoties per paroxysmos & demum excretione aluina mucoſa diſſipatur. Morbum ſolutum excipit catarrhus, ante morbum ſuppreſſus.

Malum

Malum etiam hyſtericum interdum comitem ſibi adiungit morbum mucoſum, cuius miſcela cognoſcitur ex ſiti magna, diarrhoea frequenti, continua, cum torminibus ventris & animi deliquiis, vomitu bilioſo amaro, doloribus colicis, lingua mucoſa, excoriata, puſtulis aphthoſis flaueſcentibus obſita, atque tuſſicula ſicca abdominali.

Plures ſuperſunt morbi chronici variae indolis, in naturam epidemici mucoſi formati, v. g. palpitatio cordis, aliaque mala, tum ſanata, tum funeſta; quorum idea ex ſubnexis in Sect. III. cadauerum diſſectionibus ex parte peti poteſt.

Memorabile eſt, malum venereum ex mucoſi connubio factum eſſe perquam rebelle, nullis plane remediis domandum, tandemque per phthiſin neruoſam, febri mucoſae hecticae non diſſimilem, lethale. Spem fefellerunt vſu alias hoc malo probata remedia, mercurialia aliaque, quouis modo adhibita; neque laudabilis vlcerum ſuppuratio impetrari, neque ptyalismus bonae notae vllo modo excitari potuit. Omnia potius cruda manebant, atque in reſolutionem humorum lentam tendebant, donec demum, poſt varia tentamina critica, natura ſuccubuerit.

SECTIO

SECTIO III.

MORBI MVCOSI HISTORIAE.

I.

Speciei primae chronicae & ſecundae febrilis.

Subiungimus hiſtoriarum manipulum, vt morbi mucoſi varia natura ex aliquot aegrorum ſpeciminibus atque cadauerum ſcrutinio cognoſcatur. Ordinem tractationis ſequuti, primas exhibemus benigni morbi hiſtorias, tranſitu ſenſim ad malignum, lentum & aceſſorium facto. Longe quidem maiorem obſeruationum numerum res in iſta conſtitutione epidemica a nobis geſtae atque conſcriptae complectuntur: tanta autem in rerum aegrorumque multitudine fieri nequibat, vt omnium ac ſingulorum aegrotantium hiſtoriae nominibus omnibus integrae & exactiſſime delineatae colligi potuerint; neque lectorum

ctorum intereſt, ſimilia repeti: ex tota obſeruationum ſarcina ſelectas tantum & ad illuſtrandam morbi imaginem prae reliquis facientes hiſtorias enarrauimus. Nec mancas tamen & minus completas perdidimus; ex collatis enim omnibus ac ſingulis, non neglectis vel ipſis hiſtoriarum fragmentis, concinnatam excoximus morbi notitiam generalem, ſupra traditam.

Cadauerum quidem ſectionibus pro illuſtranda morbi mucoſi ſpecie acuta nosmet ipſi ex propria praxi deſtituimur; large tamen hunc defectum compenſant diſſectorum in theatro anatomico, paſſimque per vrbem, pauperum militumque cadauera, quorum hiſtorias omnes ac ſingulas, veluti tabulam ex naufragio, ſubnectimus.

HISTORIA I.

Febris mucoſa benigna.

(Morbus chronicus in febrem mucoſam benignam euectus.)

Femina, 40 annos nata, per tres hebdomades *diarrhoea* laborauerat, *excrementis* ſub initium *ſanguine remixtis;* poſt vſum rhei ſimpliciter *mucoſis, albis.* Morbum iunio-

niorem comitabatur *febris veſpertina* cum ardore & incontinentia vrinae. *Vermes* ανω και κατω, vel ante morbum manifeſtum, aliquoties reddidit.

d. 10. *Ian.* Ieiunus ventriculus *nauſea* & *conatu vomendi* cum *tuſſi ſicca*; repletus nauſea & *preſſione in abdomine* cum inſequente ſtatim alui deiectione multum delaſſante, afficitur. Cibos quidem, inter *perpetuam ſitim*, cum ſapore deprauato, appetit; ſed *adſumta mox faſtidit. Dolent* cum ponderis ſenſu *extrema*, & parum *intumeſcunt inferiora circa malleolos*. Pulſus paruus, parum frequens: *lingua* pallide rubra, humida, glabra, tenui *muco albo tecta*: ſomnus non turbatus.

d. 11. *Ian.* Emeticum *materiae mucoſae* copiam absque bile *vomitu* & *ſimilia* κατω, cum ſymptomatum leuamine expulit. Poſt vſum rhei cum mercurii dulcis connubio *diarrhoeam mucoſam* blandam, fuſcam, cum *doloribus in imo ventre*, in poſterum diem continuatam, demum ceſſantem, excipit *tumentium gingiuarum dolor*. Ingratus nuper ſapor nunc in ſitim mutatur. Vrinam parcam, limoſam, cum circulo ad marginem vitri & *ſedimento* copioſo albo *mucoſo*, ſequitur largior tenuis aquoſae excre-

tio.

tio. Pulſus plenioris, duriuſculi frequentia deſideratur.

d. 14. *Ian.* Veſpertinae horripilationes cum *frigore febrili* & intermixtis *aeſtubus fugacibus*, vberiori vrinae excretione & inſomniis anxiis, per totam noctem protrahuntur. Cum alui ſegnitie poſtero die *abdomen tumidum & durum* fit. *Intumeſcunt* ad crura vsque *pedes*, & partes oris internas tumentes obſident *aphthae*. Viribus defraudata multum alget. Vrina flaua & cruda eſt, cum pauco ſedimento, leui, mucoſo. *Pulſus celer, durus, tenuis.* Propinatam emulſionem camphoratam noctu inter inſomnia anxia & pauores lenis *mador* ſequitur.

Subſidet abdominis tumor, lubrica aluus fuſca excernit, & propter auctam ſuperiore nocte tranſpirationem, vrinae copia minuitur. *Tumentis* in dextro latere *oris dolor, palati & gingiuarum aphthae* ſolidorum petitorum deglutitionem repudiant. Redit ſapor deprauatus ſine ſiti. Multum debilitata, de *dolore lumborum paralytico* quaſi, conqueritur. Pulſus extenuatur cum celeritate, duritie & modica frequentia.

Aucto *oris* interni *exulcerati*, *excoriati* & tumentis dolore & aphtharum amplio-

 rum

rum largiore ſegete ſtrata, reliqua mala ita pallia͏ntur, vt, licet ſolida appetat, eadem tamen prae dolore deglutire nequeat, de morte loquatur meticuloſa, inter perpetuas leuiorum deliriorum laruas. Pulſus ſine frequentia eſt; vrina craſſa, flaua, ſubpellucida, nubeculam paruam diuulſam demittit. Camphorata aucta doſi continuantur.

Doloribus oris lancinantibus, per interualla grauioribus, ſimiles in capite, cum vigiliarum vexationibus iunguntur. Animus magis compoſitus denuo ſpem vitae alit. Virium robore reddito, per interualla exſurgere lecto poteſt. Subinde titillationis in faucibus ſenſum percipit, veluti a verme exitum moliente. *Tuſſi* multum vexatur, mane ſicca, interdiu parum mucoſa. Sitis expers, bene appetit. Aluus clauſa: paucum ſedimentum album, mucoſum, leue in vrina eſt: pulſus tenuis, paruus, durus, modice celer & frequens. Propinata ſingulis horis ex cochleari emulſio amygdalina, ex aquae libra, amygdalarum integra vncia & ſeminis papaueris albi dimidia, cum camphorae drachma dimidia, ſaccharo edulcorata, placidum ſine pauoribus & inſomniis ſomnum cum *ſudore* duxit.

Dolor exulceratorum labiorum & gingi-

givarum ſimpliciter nunc pungit. Pergit tuſſis ſicca. Rurſus appetenti euaneſcunt pedum tumor, artuum dolor, abdominisque inflatio & durities. Pulſus, cum modica frequentia, plenior fit ac mollior. Vrina admodum turbida *ſedimentum mucoſum, ramentoſum*, leue, rubellum, cum corona ad marginem offert. Inter ſomnum quietum *noctu* diffluit *ſudore*.

Prioribus adiungitur *intenſa ſitis*. Pulſus paruus ac mollis ſine celeritate atque frequentia eſt. Veſperi *horrorem vehementem*, per aliquot horas continuatum, excipit aeſtus cum modico calore & capitis dolore. Nox, cum febre, inquieta ſine ſudore decurrit.

Dolor oris, durante febris impetu quieſcens, mane ſub qualemcunque febris quietem, rediit. Poſt vomitorium, & aluum inde ſaepius ſolutam, aegra repetit lectum: viget cum ſiti appetitus; ſentit aegra debilitatem, lingua humida, ad apicem pallide rubra, muco albo tegitur: pulſus parvus, debilis, modice celer & frequens eſt. Cum ſomno placido *ſudat*.

Pergit oris dolor, & cum reſidua pedum debilitate ac grauitate redeunt vires.

Prodiit *ex ore lumbricus viuus*, cuius exitum praegreſſae nauſea & anxietates, hoſpite foras emiſſo, ceſſarunt. Cum modica ſiti, fame & faſtidio alternis, appetitus inordinatus eſt. Pulſus paruus, debilis, non frequens: vrina flaua, turbida, deiicit *ſedimentum copioſum*, *mucoſum*, ex albo rubrum. Ex continuato camphoratorum vſu *ſudore* vniuerſali, *acidum ſpirante*, corpus noctu, inter ſomnum turbatum, diffluxit.

Sedatior nunc oris dolor & appetitus modicus atque regularis eſt, ſomnusque quietus. Pulſus paruus, non durus, verſperi fit modice frequens. Vrina heſternae ſimilis. *Lingua* lata, humida, *craſſo muco albo tegitur.*

Subſidet oris tumor, aphthis perſiſtentibus: creſcunt vires; manent tamen pedum debilitas atque lumborum a motu dolor.

Excitantur ab aſſumto cibo glutinoſo, cum preſſione in ventriculo, vomendi conatus. Cum valetudine nunc in gratiam redit atque obambulat, & praeter aphthas, per interualla grauius dolentes, omnia ad regulam formantur; quare ſolum praebium rhei ſingulis veſperis repetitum eſt.

Sedato ſenſim oris dolore, cibos ſolidiores

lidiores rurſus deguſtat, & accedente *leui diarrhoea* morbi reliquiae eliminantur.

1) Eximium morbi mucoſi cum febriculis benignis ſpecimen eſt; cuius *praeliminaria chronica* ſimul *morbi mucoſi chronici exemplar* praebent.

2) Accenſa febris in febriculas nocturnas ſeiungitur: magna d. 7, velut febris vigor, ſequitur ephemera, quam rurſus nocturnae excipiunt.

3) Per varias criſes imperfectas, inter quas eminet oris tumentis & dolentis exulceratio aphthodes, morbus vtcumque leuatur.

4) Poſt febrem ephemeram, vermis & muci excretione ſudoreque copioſo tota vis morbi cicurata, atque oborta demum, elapſo die 14. diarrhoeâ mucoſâ morbi reliquiae pedetentim eiectae ſunt.

5) Quae tempore critico vnum vel alterum diem ſerior (d. 9. 15.) contingit excretio critica, procul dubio ita comparata eſt, vt iuſto quidem criſeos termino (elapſo d. 7. 14.) coctio fuerit abſoluta: ad expellendam vero mate-

 riem

morbi coctam, poſt aliquam febris remiſſionem, noua quaedam exacerbâtio leuis, leuiſſimo quandoque ſrigore diſtincta, requiratur, prioris paroxysmi adhuc protracti veluti appendix; donec demum, finito hoc modo naturae apparatu, poſtridie ipſa excretio critica perficiatur. Idem ſaepe in ephemeris phaenomenon obſeruauimus.

6) *Originem, & cognitionem morbi muccoſi cum febre intermittente*, praeter ſupra recenſita, (*Sect: I.* n°. *VI.* p. 20.) vlterius illuſtrant ſequentia.

Dolor lumborum paralyticus vtrique morbo commune & fere proprium ſymptoma eſt.

Dolor periodicus, maxime *dentium* & oris, vt omnis forte morbus intermittens, ex intermittente febre, tamquam foecunda quadam radice, progerminat. Haud raro ipſis febribus intermittentibus, autumnalibus praecipue & in ephemeras degenerantibus, ſeſe adſociat dentium dolor (*Sect. I.* n°. IV. p. 16. Octobr.) Saepenumero etiam febris intermittens, remediis intempeſtiuis, vel a naſcente hieme, ex regulari tramite ita deturbatur, vt, febrili natura penitus oblittera-

ta,

ta, ſolus ſuperſtes *morbus intermittens* reſiduo quodam ſymptomate neruoſo, periodico, rebelli, quale praecipue odontalgia, otalgia, cephalalgia, &c. aegrum detineat; quod vero ſymptoma neruoſum ſub leui calore febrili, vtcumque adhuc apud quosdam ſua periodo vigente, miteſcit, & interdum ſero demum accenſa quadam acuta totum ſanatur. Eſſe illius caloris periodum dolore ſeriorem, huncque febrili frigori ſubſtitui, ſollertes obſeruatores non ignorant. In mucoſo etiam morbo oris dolor ſub calore febrili ſiluit. (d. 8.)

Frequentiſſime febris intermittens *ſoluitur vlcusculis labiorum*, ad quorum naturam quam proxime accedit criſis morbo mucoſo familiaris, *oris* nimirum tumentis & dolentis *exulceratio aphthodes*. Vtrique morbo ſudores, *ſingularum acceſſionem criſes*, familiares ſunt.

Typus vtut erraticus irregularis, *intermittens* tamen, & morbum mucoſum veram prolem intermittentis febris eſſe indicat. Hinc interdum alternis binis diebus veſtigia quaedam critica notata ſunt. Adeo quandoque febris intermittentis indoles in mucoſo morbo extenuatur, vt ſolae, poſt diem ἀπυρον, acceſſiones veſpertinae nocturnas febriculas

referrent, chronico etiam morbo mucoſo amicae. Eſt profecto benigna febris mucoſa febris ex intermittente in febriculas nocturnas depreſſa; ſiue ſeries febricularum nocturnarum in veram indolem intermittentem euecta.

Haud raro, poſt aliquas inducias, ex nato per naturae beneficium & benignam morbi indolem, nouo frigore notabili, febris denuo accenſa modo morbi materiem digeſſit, modo digeſtam expulit.

Nouum frigus notabile requirit praegreſſam quamdam intermiſſionem, ſiue naturae quietem; qua non conceſſa, ad indolem pernicioſam euehitur morbus. cf. & Hiſtor. XIII. XIV.

Quo magis in vniuerſum febris cuiuscumque abdominalis decurſus in acceſſiones diſtinctas, cum interuallis, ſaltem vtcumque, lucidis, diſcerpitur; eo benignior eius indoles ad veram intermittentis naturam propius accedit: e contrario, dum ſingulae febris intermittentis degeneris acceſſiones ad maiorem vim euehuntur, & ſine mediis interuallis ad ſe inuicem appropinquant aut vere confluunt; ipſa febris indoles tranſit in acutam, continuam, malignam, putridam. Ita morbus mucoſus, ſymptomatum & febris remiſ-

remiſſione, nouisque cum frigore acceſſionibus & criſibus particularibus, diſtinctus, eatenus benignus; ab iſta vero intermittentium benignitate * declinans, malignus fuit atque periculo plenus.

Duae in vniuerſum ratione epidemiae poni *intermittentium ab indole regulari declinationes* poſſunt: altera *aeſtiua*, altera *hiemalis.* Deflectit autem intermittens regularis vernalis, propter feruidam & ſiccam aeſtatis tempeſtatem, cum frigoris nocturni viciſſitudine, in febrem *intermittentem perniciosam.* Redit autumno vtcumque regularis indoles. Tempeſtate denuo brumali intermittentes in *malignas mucoſas & catarrhales* peruertuntur. Tandem per continuatum epidemiae fluxum, veris beneficio benigna intermittentium indoles reſuſcitatur.

HISTORIA II.

Febris mucoſa benigna infantis.

Puella 11. annorum

d. 15. *Ian.* poſt *horrorem* & *frigus* veſpertinum, cum ſubſequente capitis dolore & intenſa *ſiti*, lectum petiit.

K 5 Ieiunam

* *Maximopere optandum, quin orandum eſſet, vt praecipites medici tandem aliquando*

Ieiunam nauſea, atque cum ſapore amaro & ructibus nidoroſis, conatus vomendi vexant. Alget aegra & appetitu orba, ſitim reſtinguere conatur. Somnus ſatis quietus eſt.

Manet cum ſiti intenſa deprauatus oris ſapor. Ab aeris frigidi contactu ſtatim oriuntur horripilationes, neque dolor capitis, neque notabilis calor febrilis ſequitur. Accedit cum pulſu frequenti, duriusculo, *alui profluuium.*

Vomitorio ex ipecacuanhae gr. viij. praebiolo ter repetito, excutitur materia mucoſa, bile demum remiſta, & ablato inde ſapore amaro, miteſcit ſitis. Adeſt cum pulſu paruo, modice frequenti, lingua pallide rubra, modice humida, pura.

Somnus, ſine pauoribus, inquietus eſt, ceſſat diarrhoea, *pruriunt* ſubinde *nares*, & cum ſiti modica viget appetitus. Lingua & pulſus non mutati. Morbo opitulati ſumus mixto, ex tartari ſolubilis & ſalis ammoniacalis

do in cognoſcendo intermittentium beneficio ſaperent, neque perpetuo, intempeſtiuo & inconſulto corticis vſu medicinam ab ipſo creatore datam, intermittentem febrem repudiarent.

calis aequalibus partibus, puluere, per epicraſin dato. Placidum de nocte cepit ſomnum,

Prodierunt inter excrementa lubrica duo *lumbrici* & titillationis ſenſus fauces ſubinde ad *ſcreatum* irritat. Cibos appetit aegra, ſed ſolidorum maſticatio, ſine aphthis, gingiuarum dolorem mouet: lecto recubat, parum debilis, & ſine doloris ſenſu, multum ſitit. Pulſus paruus, duriuſculus eſt, cum modica frequentia; *vrina turbida lactea,* cum circulo. Nox fere inſomnis fuit.

Laſſa decumbit, & praeter ſitim ab aſſumtis pulueribus ſubinde *nauſeam cum vomendi conatu* ſentit. Augetur cum aluo clauſa & lingua rubra, pura, ſubſicca, gingiuarum dolor. Circa veſperam pulueribus ſalinis ſubſtituitur camphora, ſaccharo ſubacta, ita vt ſingulas doſes ingrediantur camphorae gr. iv.

Gingiuarum & palati dolor per interualla, ſine aphtharum conſortio, ingraueſcit. Redit ſubinde in faucibus titillatio, veluti a verme prodituro. Viget cum ſiti magna appetitus, clauſa manet aluus, & pulſu paruo, modice celeri & frequenti iungitur lingua *humida,* pallide rubra, tenui muco albo atque *papillis* rubris, *eleuatis* diſtincta.

Lecto

Lecto interdiu caret. Emulſio jalappina ex reſinae gr. iij. mitiorem effectum edidit. Vrina pauca, pellucida, citrina, cum circulo ad marginem, ſepoſita ſero deiecit ſedimentum paucum, album, leue. Peracta placida nocte, mane *multum ſudauit.*

Reiterantur pulueres camphorati, ex camphorae gr. iij. cum ſacchari gr. xv. parati, omni bihorio repetiti. Remiſit oris dolor, vrget appetitus, obambulat aegra, & cum pulſu paruo, modice frequenti, notatur lingua pallide rubra, pura, modice humida, papillis rubris deletis. Redit de nocte *copioſus ſudor.*

Reſtaurantur vires, auideque conualeſcens appetit cibos. Aluus bene reſpondet, & in vrina pellucida flaua, ſine circulo, magna vis *ſedimenti albi mucoſi* cohaerentis praecipitatur. Neque abdominis, neque pedum tumor fuit notatus.

Vrina pellucida, citrina, ſine nubecula & ſedimento eſt, & ex voto aegra conualuit.

1) Eſt ſpecies praecedenti ſimilis; ſiquidem non tam febris continuae tramite decurrit, quam ex febricularum nocturnarum ſerie componitur.

2) Quae

2) Quae quidem ſpecies benigna magis familiaris eſt infantibus, feminis, corpore debilioribus, quam adultis, viris et, vel ex ſexu ſequiori, corporis robore vigentibus. Non temere aliquis febre mucoſa benigna (vel ſimplici, vel cum ſymptomatibus aphthoſis) & diſcerpta in nocturnam ſeriem laborauit, niſi quidem multum effeminatus & teneriori neruorum ſyſtemate inſtructus fuerit. Sexu & corporis vigore potiores, * pro diuerſo gradu, proniores fuere ad febrem mucoſam acutam malignam. Teneros, labe quadam viſcerum preſſos & iugulandos, non acuta, ſed longa, cum ſua phthiſi, febris iugulauit; ** carne viribusque valentes acuta, vel inde nata phthiſis.

3) Melioris ſemper indolis & ab intermittentium benignitate minus remota fuit ſine aphthis ſimplex mucoſa benigna; in lentam vero ſpeciem, propter ſymptomatum ſimilitudinem, tranſitum fecit febris mucoſa, aphthis, torminibus &c. aucta. vid. hiſtor. praec.

4) Vim morbi, ad bonam intermittentem indolem

* cf. Hiſtor. IX - X.
** cf. infra ad ſpeciem acceſſoriam, lues venerea lethalis.

indolem vtcumque emendati, hoc caſu inde a d. 10. fregit copioſus ſudor, poſtridie redux.

5) Vrina mutata in morbo mucoſo vtplurimum futurae criſeos potius indicium, quam ipſa critica eſt excretio.

HISTORIA III.

Febris mucoſa benigna infantis, cum typo tertiano.

d. 11. *Ian.* 1761. Puellam, 7 annos natam, veſperi adoritur capitis dolor, ſequitur aeſtus magnus cum ſudore vniuerſali.

Lecto per interualla incumbit, iunctis, cum capitis dolore, *ſiti* intenſa & appetitus defectu.

Lectum non deſerit, atque prioribus ſeſe adſociant ingens calor cum *tuſſicula ſicca.*

Valde *dolent pedes*, *vomitu* reiiciuntur ingeſta, *inflatur* cum duritie *abdomen*, atque inter continuatum capitis dolorem & aeſtum ſine ſudore, exaſperata cum pulſu pleno, multum frequenti, tuſſis ſicca ſecum trahit *pungentem in pectore dolorem.*

Terrent ſub ſomno *pauores*, ſoluta tandem

dem aluus duriora reddit, *dolent* cum capite *artus*, vrgent aeſtus & ſitis, ſuperſtite ſimul ſub tuſſi abdominis atque thoracis dolore pungente. Pulſus frequens & duriusculus eſt: vrina flaua cum ſparſa nubecula.

Laceſſitus emetico ventriculus per vomitum dolentem exturbat *materiae mucoſae* copiam, cum admiſſa parca bile, lenitis ſimul, poſt parcum ſudorem, capitis dolore & aeſtu.

Quinquies, a repetito remedio, excitato vomitu eliditur vis muci virideſcentis. Subſequitur parum ſomni cum quadam ciborum appetentia. Ad priorem normam *exaſperatur* circa veſperam *febris* cum reliquis ſymptomatibus. Parum emollitur abdominis tumor, ſuccedente nunc, cum *tumida lingua, interni oris dolentis excoriatione.* Adminiſtrata eſt emulſio camphorata.

Manet, cum aeſtu & capitis dolore parum ſopitis, ſitis abdominisque tumor. Micat appetitus, & vires colligens aegra e lecto ſurgere valet. Inter continuatum camphorae vſum, in lingua tumida, rubra, craſſo verſus radicem muco flaveſcente obducta, effloreſcunt *aphthae.* Nox quieta eſt & cum parco ſomno *profuſus ſudor.*

Con-

Conualeſcere viſa, poſt ingeſtum parcum cibum, denuo *lectum petere cogitur.* Ita intenditur capitis & membrorum dolor, vt ne contactum quidem ferant; dolente ſimul ſub tuſſi exaſperata abdomine. Vrina rubra ſine circulo deiicit aliquid ſedimenti mucoſi, albi, cohaerentis. Poſt vſum camphorae noctu rurſus, cum ſomno ſatis quieto, *copioſo ſudore* diffluit.

Octies ab emulſione ialappina ſoluta *aluus mere mucoſa* reddit. Penitus ceſſit capitis dolor, & ex parte etiam artuum dolores & ſitis. Cum pulſu paruo, celeri, modice frequenti, mollius ſit abdomen tumens: atque aphtharum abſentiam compenſant *eleuatae* inter mucum linguae *papillae fungoſae* rubrae cum *gingiuarum dolore.* Redit ciborum appetentia. Ingeſtis aliquot praebiis miſcelae, ex vna parte liquoris terrae foliatae tartari cum tincturae roſarum dimidia, placida nox ſudorem in capite particularem mouet.

Omnia nunc meliora. Vrina flaua cum corona turbatur & ſubſidet *ſedimenti mucoſi*, albi, furfuracei, copia. Somnus ſine ſudore quietus eſt.

Sedato oris dolore, bene appetit. Cum multa ſiti manente, inter vſum remedii continua-

tinuatum, ſubſidet molliti abdominis tumor. Verſus veſperam *horror* & *frigus* inceſſit, in alteram horam protractum, cum obrepente ſub frigoris finem ſomno. Euigilans *calet* & *ſitit*. Miſſa frigoris tempore vrina citrina, tenuis, pellucida eſt, cum tenui nubecula ſubſidente.

Lecto interdiu facile caret, prae algore tamen pone fornacem reptat. Viget appetitus, aluus clauſa eſt, pruriunt nares, & in lingua pallida ex muco eminent papillae. Noua *febricula veſpertina* mane expellit *ſudorem*.

Denuo expaueſcit ſub ſomno atque dolore capitis & abdominis, cum frequentibus ventris torminibus & borborygmis, conqueſta, iuncta ſimul ſiti, *in lectum ſe recipit*. Sola tenuia appetit. Vrina tenuis, citrina, cruda. Lingua rubra, humida pura eſt, cum papillis in limbo. Noctem placidam neque febricula, neque ſudores, turbant.

Ipecacuanhae, cum ſyrupi cichorei connubio, praebium exturbauit *materiam mucoſam ex flauo viridem*. Extra lectum hodie verſata de *dolore pedum lancinante* querelas iactat. Pulſus paruus, duriuſculus & frequens eſt cum renata plenitudine. Prae-

ter auctos pedum dolores, nox praecedenti ſimilis fuit.

Redit hodie per interualla dolor in imo ventre. Linguae rubrae dorſum obueſtit tenue muci albi ſtratum. Vrina a praecedenti non differt. Medicamenta nunc recuſat.

Sub ſomno quieto *copioſum* aegra fundit *ſudorem*, vrina ſubpellucida, flaueſcens, cruda manet. Reliqua omnia ad frugem redeunt & ſanitas reſtauratur.

1) Species mucoſae eſt, intermittentis indolis particeps, cum obſcuriori, quam in regulari intermittente eſſe ſolet, ob anni tempus minus aptum, typo tertiano ad diem 10. usque.

2) Facta interim eſt criſis aliqua imperfecta, per aphthas, ſudorem & oris dolorem.

3) Febris d. 12. relapſa, cum typo vtcunque quotidiano morbi reliquias cum ſudoribus expulit.

HIS-

HISTORIA IV.

Febris mucoſa acuta recidiua in febrem intermittentem quotidianam tranſiens.

Femina 38 annos nata, ante hebdomadem quaſi a febre mucoſa acuta conualuerat; bis paſſa erat venaeſectionem & pluribus trichuridibus a laxante liberata. Geſtata antea hernia ſub initium morbi ſponte ſeſe receperat. Diarrhoea deinceps laborauit aegra vsque ad

d. 30. *April.* quo obortum *graue frigus* excepit aeſtus cum magno capitis dolore.

Debilitatem magnam comitantur *artuum*, pedum praecipue, *dolores.* Vrgent etiam *dolores in imo ventre*, magis quidem prementes, quam acuti; *diarrhoea* quoque frequens cum teneſmo & *excrementis mucoſis.* Inquieta, raro fruitur ſomno, ore ſub illo hiante: deſtituitur appetitu; cum *magna ſiti* parum tantum dolet caput; dolore afficiuntur oculi, iuncta ſimul palpebrarum grauitate. Lingna tota alba, ſubſicca, lata eſt; *pulſus* debilis, paruus, *rarus*, *ſine duritie.* Singulis horis deuorat paruum cochlear linctus,

 quem

quem ingrediuntur mannae depuratae duae vnciae, olei lini recens expreſſi vna vncia cum ſacchari dimidia.

Sequuti ſine vomitu conatus diarrhoeam cum teneſmo mitigant. Perſeuerat, inter artuum dolores, aegrae debilitas cum moleſta & graui *in regione ventriculi colique transverſi preſſione*, ita vt dolores e dextro latere in ſiniſtrum progrediantur. Pulſus plenior, rarus, ſine duritie eſt; lingua ſicca, contracta, globoſa, alba, verſus radicem flaueſcit. Sumtum ipecacuanhae cum tartari ſtibiati ſtimulo, praebiolum ſexies ſaltem citato *vomitu* eliminauit *materiam* mere *mucoſam* cum remixta bile.

Notabile inde morbi leuamen ſentit aegra; remiſit preſſio in epigaſtrio, mitior vrget ſitis, & citra diarrhoeam ſemel tantum aegra aluum depoſuit. Cum ſomni reficientis deſiderio de laſſitudine magna conqueritur, ſpeciem dormientis habet quieta decumbens, & quando quis illam alloquitur, ex ſomno veluti expergefacta demum reſpondet. Pulſus ſimul rarus eſt, aequalis, non durus. *Linguam* modice albam in omni ambitu, contractam, humidam, ipſa aegra *aſperam* ſentit. Sub ſomno inquieto copiam *ſudoris* fundit. Solutorum, in aquae feruentis octo vnciis

vnciis, arcani duplicati (vncia dimidia), *gummi ammoniaci & ſaponis veneti* (ana drachma vna), ſingulis horis ingeritur cochlear.

Ceſſarunt cum ipſa diarrhoea *tumiduli* citra duritiem *abdominis* dolores; graue caput non niſi veſperi dolet; grauitate pedum ſuperſtite, minuitur debilitas, vt vel extra lectum aegra verſetur; pulſus paruus duritie atque frequentia caret, & cum linguae deſcriptae laxiori habitu notatur in vrina tenui, aquoſa, pallida, clara, paucum ſedimentum lacteum ſine circulo. Continuatur vſus remedii heri praeſcripti.

Inter valetudinis blanda ſimulacra, appetitum exſpectatura aegra obambulat, dolorumque, praeter pedum grauitatem, expers. Lingua alba, contracta, humida eſt; vrina praecedenti ſimilis. Continuatur eiusdem medicamenti vſus.

Poſt vagas *horripilationes matutinas* cum dolore pedum & ſpasmis lumborum, accedit modicus aeſtus cum dolore capitis iuncto. Vterque ſub veſperam cedit reuerſis in imo ventre doloribus & preſſioni in epigaſtrio. Pulſus veſperi pleniusculus eſt ſine frequentia & duritie.

Mane hora 9. *nouum frigus* febrile acceſſit,

ceſſit, cum ſpasmorum dorſi, dolorum pedum, artuumque tremoris ſodalitio. Inſequentem calorem comitantur capitis dolor, & cum magna anxietate praecordiorum oppreſſio. Pulſus ſub frigore tactui fere ſubterfugit; tempore caloris modice plenus eſt, non adeo frequens. Veſperi remittit calor. Subiungitur puluis, per epicraſin capiendus, ex ſalis mirabilis Glauberi vncia dimidia cum ammoniacalis puri drachmis duabus totidemque ſacchari, conflatus.

Hora 10 matutina ſolae, ſine notabili frigore, *pandiculationes* & *oſcitationes* redeunt, quas excipit modicus calor cum capitis dolore, absque ſudore. Prae dolore pedum laſſa aegra per totum diem lecto recubat. Vrina tenuis, citrina, pellucida, nubeculam mucoſam deiicit. Protrahitur pulueris vſus.

Obortum circa horam 9. modicum *frigus*, poſt dimidiae horae ſpatium *aeſtui intenſo* & capitis dolori grauatiuo cedit, ita vt calor inter *ſudores profuſos* per totum fere diem protrahatur. Cum pulſu paruo, duriuſculo, modice tantum frequenti, lingua notatur alba, humida, ad margines rubra. Continuatur elapſo paroxysmo puluis ſalinus.

Decima rurſus hora matutina *leue frigus*

gus impetit aegram, cum ſubſequente modico calore: nec tamen blandior paroxyſmi indoles impedit, quo minus extra lectum poſſit verſari. In vrina tenui, aquoſa, leuiter flaueſcente ſuſidet *ſedimentum album & graue.* Pulſus paruus & duriusculus frequentia caret. Reiteratur puluis ſalinus (d. 9.)

Mane hora 9. rediit dimidiae horulae *frigus vix notabile*, ſucceſſit modicus calor absque notabili capitis dolore, per totum diem protractus. Abhinc ſine paroxysmi reditu aegra ſenſim conualuit.

1) Prouti in affectione colica &c. ab expanſis inteſtinis hernia ſpaſtico modo propellitur; ita imminente morbo acuto a ſpasmis initialibus hernia ſeſe recipere poteſt, dum in frigore febrili omnia contrahuntur.

2) Totus huius morbi bis recidiuantis decurſus naturae quiete & repetito relapſu, alternis, indolem intermittentem iam luculenter manifeſtat; ita vt in tres veluti impetus discerpatur, quorum tertius curatorius iterum complectitur plures intermiſſiones vel acceſſiones minores, * ad normam febris intermittentis quotidianae regularis decurrentes.

 3)

* Quin interdum ſinguli paroxysmi quo-

3) Multis ex intermittentium genere degeneribus morbis, febribus inprimis abdominalibus malignis, commune eſt, vt vel naturae beneficio, vel artis opera, in naturam verae intermittentis proſpere emendentur, poſtquam vis morbi primarii eatenus fracta fuit, vt ex maligna indole in meliorem cedat. cf. Sect. I. N ^o^. VI. p. 21. & 22. not.

4) Ita vel ex hoc ſpecimine patet, binos illos paroxysmos priores magnos eatenus emendaſſe morbi degeneris indolem, vt ſubacta malignitate, vis morbi reſidua ſoli intermittenti regulari ſouendae adhuc par eſſet, qua demum morbi reliquiae vlterius excoctae expellebantur. cf. *Sect. II.* N ^o^. V.

5) Quo magis intermittens febris diſtat ab indole pernicioſa & maligna, eo minus indiget cortice, & v. v. Ita febres

tidiani denuo diſcerpuntur in aliquot acceſſiones minores. Ita in morbo epidemico mucoſo catarrhali & ſubpleuritico, hieme 1762. 63. graſſante, tres eiusmodi acceſſiones & vltra eodem die notauimus, capto a ſymptomatibus ſpaſticis initio, ſubſequente aeſtu & tandem ſudore, terminatas.

bres intermittentes regulares, vernales praecipue, vt forſan omnis intermittens non pernicioſa, aliis remediis tutioribus, e. g. ſoli ſalium protracto vſui, obtemperant & demum ſine omni cortice cedunt, dummodo expectemus donec naturae per febrim conatibus ipſa morbi cauſſa fuerit ſublata.

6) Simile ſalibus remedium exhibent ſaponacea, venetus inprimis ſapo, variis etiam morbis ex intermittente degeneribus, vt hydropi, calculo veſicali, ictero &c. egregie accommodatus.

7) Supprimitur quidem cortice febris, ſed cauſſa morbi non tollitur. Quare etiam in pernicioſis, poſt ſuperatum a febre imminens periculum, ſemper refugiendum eſt ad reſoluentium vſum.

8) Prouti blanda aeris temperies hiemalis in genere fauet febribus mucoſis, ita mitior ſenſim tempore vernali aeris viciſſitudo mature reſuſcitat veras intermittentes. Sic vel in hac ipſa epidemia mucoſa iam ſub finem Februarii & Martii initium, quasdam intermittentes, licet raras, notauimus. Facile enim adoriebatur intermittens eos, in quibus,

 praeter

praeter tempeſtatem lenem, ſimul concurrebant conditiones in progr. de febr. ex intermitt. cont. p. 14. §. 15. α) allatae. Quin, licet rariſſima ſit vera intermittens hiemalis, interdum tamen occurrit, quando diſpoſiti diu temperato aere, ſine notabili frigoris & caloris viciſſitudine, ob vitae genus ſedentarium fruuntur. Ita quotidianam regularem hac ipſa hieme, licet frigus intenſiſſimum vreret, experiebatur, primis Ianuarii diebus, puerpera, quae plures menſes in hypocauſto temperato latuerat. Et forſan haec ipſa conditio multum confert ad emendandas & in intermittentem naturam conuertendas malignas.

9) A multis adeo laudatus gummi ammoniaci vſus procul dubio latet in principio nauſeoſo, multis nominibus efficaciſſimo. vid. Sect. II. p. 58.

HISTORIA V.

Febris mucoſa acuta, quae ſanata iterum relabitur in morbum inflammatorium benignum.

Virgo nobilis 20. & ultra annos nata, poſtquam per aliquot hebdomades diarrhoea laborauerat, d. 24.

d. 24. *Febr. Frigore* corripitur cum inſequenti calore. Venaeſectio neque ſanguinis vitium indicauit, neque emeticum ventriculi. Nox inquieta.

Lectum non deſerit. Adſunt diarrhoea, magnus aeſtus cum intenſa ſiti atque perpetua corporis agitatione. Lingua acuta, ſubſicca, modice albet. Occurritur emulſione nitrata, & ſub noctem diarrhoea parum compeſcitur potiuncula, ex acido vegetabili, extracto quodam amaro & leni opiato parata, cum placidae noctis ſucceſſu.

Satis quieta eſt & multum ſitit. Nulli *dolores* vrgent, praeterquam *capitis* in regione frontis, cui junguntur leuiora *phantasmata*, quorum tamen conſcia eſt aegra: quae quidem phantasmata & ſubſequentibus noctibus ſaepius redeunt. *Screatu* multum *muci* reiicitur. Sanguis, iterum e vena miſſus, cum copioſo ſero, *cruſta inflammatoria* coerulea tegitur. Continuatur per noctem emulſio nitrata. Spontaneo de nocte vomitu eructatur materia bilioſa atque reſuſcitatur diarrhoea.

Mane anxietates, inquietudo, debilitas, quae mala a meridie ſenſim componuntur, & reſidua tantum manet cum ſapore amaro debilitas. Extenuatur pulſus impeditus, frequen-

quentior. Adminiſtrata potio acidula noctem ſatis bonam aliquoties ructibus & vomitu turbauit.

Mane cuncta meliora ſunt, & minus querimoniarum fundit aegra, dum hactenus perpetim querula fuit. Continuantur cum modica diarrhoea *dolores in regione ventriculi & coli transuerſi.* Pulſus liberior eſt minusque frequens: vrina modice rubra, opaca, cum parciſſimo ſedimento furfuraceo. Circa meridiem, ſine frigore, modice augetur calor: veſperi ſedatior pulſus ad rhythmos naturales fere redit. Propinatus per epicraſin linctus demulcens, ex mannae liquidae tribus vnciis, ſyrupi berberum duabus, & olei amygdalini dulcis vna vncia, cum adiectis laudani liquidi Sydenhami duobus ſcrupulis, paratus; ſubide *vomitus* biloſos, *ſeros, non defatigantes,* leuantes potius mouit.

Omnia emendata notauimus, ſine caloris circa meridiem notabili augmento. Inter modicam ſitim aegra nunc rurſus appetere cibos. Efflorescunt in facie quaedam *puſtulae* minores, & in radio dextro *furunculus.* Veſperi brachio dextro admouetur veſicatorium. Continuatur linctus cum eodem ſucceſſu.

Mane

Mane *vrina* tota *turbida,* cum ſubmerſo *ſedimento lacteo ramentoſo*, opaca, ſerum lactis craſſius refert. Subiunximus potiunculam, ex aquae menth. ſ. v. quatuor vnciis, terrae foliatae tartari binis drachmis, cum *extracti corticis peruuiani* vnius, & laudani liquidi Sydenhami dimidiae drachmae connubio, adiecta ſimul ſyrupi aurantiorum ſesquiuncia, confectam. Nihil querimoniarum ſupereſt, neque virium deiectio. *Pulſus* fere naturalis, tantillum frequens; ſub veſperam *eleuatus*, *pleniuſculus* redditur. *Dolent* cum difficultate deglutitionis *fauces*, & ſcreatu adhuc *vis muci* reiicitur. Bene ſuppurat veſicatorii vlcus, & noctu ſuccedit placidus ſomnus.

Emendatur deglutitio, pergit vrinae indoles critica, ceſſarunt diarrhoea & imi ventris dolor; miteſcit, cum pulſu bono fere naturali, ſitis & lacte puro veſci aegra conatur. Reiteratae potionis vſus protrahitur.

Sedimento vrinae, ſanguinisque e naribus delapſi & ſcreatu excreti parcis veſtigiis morbus ſenſim diſſipatur.

Bene valet. Affatim aſſumſerat ſuccoladae hauſtus repetitos, ſolanum eſculentum aliaque.

Poſte-

Poſtero die ſub veſperam ſine notabili frigore relabitur, cum pulſû pleno frequenti iunguntur maior ac in nupero morbo calor, inquietudo, praecordiorum ſtricturae, nox inquieta.

Exhibitum tempore remiſſionis matutino vomitorium, ex ipecacuanhae gr. xv. cum tartari emetici gr. j. ſtimulo, quater vomitum ciuit. Nouus circa meridiem febris impetus accedit; *eliciuntur ſub veſperam* decem quaſi *ſanguinis* vnciae, ſero & *cruſta inflammatoria* tecti; quo facto pulſus mollitus parum ſubſidet. Poſt noctem inquietam,

eodem tramite cum intenſo calore febris exacerbata redit: quare e vena, circa veſperam iterum ſecta, extrahitur ſanguis *cum cruſta pleuritica aucta.* Adhibetur ſimul potio antiphlogiſtica, ex ſoluti in aquae cichorii vnciis octo, nitri puri binis drachmis, & admiſtis ſyrupi emulſiui duabus vnciis, cuius potionis ſingulis horis capiuntur duo cochlearia. Vrina *turbida, lactea* eſt; redeunt ſtricturae faucium; continuatur niſus in vomitum; ſcreatu multum muci eliditur, & inter *tuſſiculam* nox inquieta ruit.

Accedente noctu diarrhoea calor ſoluitur. Vrina, vt heri, lactea eſt; pulſus abdomi-

dominalis multum frequens cum quadam mollitie. Mane ſuccedit *haemorrhagia narium* aliquot vnciarum, pergit tamen niſus in vomitum. Subiungitur miſcela, ad normam praecedentis potionis capienda, ſoluti in aquae menthae ſ. v. vnciis quatuor extracti corticis peruuiani vnius & dimidiae drachmae, cum admixtis elixirii proprietatis Paracelſi drachma vna, laudani liquidi Sydenhami granis xij, adiectis ſyrupi balſamici duabus vnciis. Veſperi *tertium* adminiſtratur *venae ſectio*, eademque, ac in nupera, cruoris indoles inflammata deprehenditur. Vrina flaua, obſcura, ſine ſedimento manet.

Quietior aegra eſt, ac heri. Magnas vtrique brachio admota veſicatoria contraxerunt veſicas. *Eleuatae* ſunt in lingua rubra *papillae fungoſae*, minus conſpicuis pyramidalibus. Ob pulſum plenum, modice frequentem in vſum reuocata eſt emulſio nitrata (d. 14.): & exaſperata poſt meridiem febre cum *deliriis loquacibus* iunctis, quarta vice ſanguis e vena trahitur, ad ſex ſeptemve vncias, cuius indoles minus inflammata fuit, ac prioris. Niſum vomendi ſedatum excipit leuis diarrhoea, & ſedili inſidens aegra ſubinde leuiori in gradu animo linquitur. Praeter caput grauatum, nihil doloris, niſi quidem leuiſſimus interdum, alui excre-

tio-

tionem praecedens, obſeruatur. Saepe cum ſcreatu aliquid ſanguinis immixti reiicitur: vrina a praecedente non differt.

Poſt noctem ſatis placidam, valetudo parum emendata eſt, ſitis mitior, cum vrinae *ſedimento lacteo*. Praeter tenesmum, nihil diarrhoeae ſupereſt: atque cum pulſu frequenti, pleniuſculo, ſequuntur per noctem inquietam phantaſmata.

Deſideratur vrinae (vt d. 15) ſedimentum, pulſus modice tenuis, debilis & frequens eſt, ſudant corporis ſuperiora, & aegra de debilitate & ſiccitate linguae conqueritur. Succedit nox bona.

Notabiliter decreſcit morbus, redit ciborum appetentia, & ſine febre notabili ſuperſtite denuo praecipitatur vrinae *ſedimentum lacteum ramentoſum*.

Subiungitur remedium ex aquae menthae ſ. v. vnciis ſex, liquoris terrae foliatae tartari & ſyrupi aurantiorum ana ſesquiuncia cum extracti corticis peruuiani duabus drachmis, ad prioris normam capiendum.

Succedenti demum *pedum tumori oedematoſo* occurritur parato ex corticum peruuiani vncia vna, aurantiorum drachma

vna

vna cum tartari ſolubilis duabus drachmis, & balſami copaiuae drachma vna, puluere, omni bihorio per dimidia cochlearia capiendo.

Reiteratur idem puluis &, praeter pedum tumores, ſenſim euaneſcentes, optime conualuit aegra.

1) Turbata erroribus diaetae criſis, diutius protrahenda, elapſo die 11mo in augmentum coagulumque gelatinae ſanguinis determinatur cum morbi ſecundarii inflammatorii ſequela. Eiusmodi autem morbos ex aliis criticos naſci, alias etiam obſeruauimus; cf. Sect. II. N°. V.

2) Decurrit ſueto tramite morbus ſanguineus ſine inflammatione locali, V. Sbus, nitroſis & haemorrhagia ſpontanea leuatus.

3) Soluitur ſenſim praecipitata *alternis diebus* vrina, & enato demum *pedum* tumore, quibus nominibus naturam morbi mucoſi intermittentis, aliquamdiu latentem, ſimili euentu denuo patefecit. Monemus in tranſitu, tumorem pedum oedematoſum fere eſſe ſignum characteriſticum morbi cuiuscumque ex intermittente degeneris. *cf. Sect. I.* p. 23.

4) Vel ex hoc caſu apparet, quanta ſit

M virtus

virtus vomitoriorum per ſolam nauſeam ſine ſtimulo agentium & epicraſin exhibitorum. (d. 5.) cf. *Sect. II.* p. 48.

HISTORIA VI.

Febris mucoſa, erratica cum ſimulacris pleuriticis.

d. 4 May.

Puerum 12 annorum, poſtquam aliquamdiu cum diarrhoëa conflixerat, quarta a meridie hora *cum horrore graue frigus* impetit, quod poſt aliquot horas excipit aeſtus ingens cum intenſa *ſiti*, vtroque ſymptomate per totam noctem protracto.

Succedunt *dolor in imo ventre*, praecipue in regione hepatis, & anxietates: a meridie poſt aliquot *vomitus ſpontaneos* magnus aeſtus, vt veſtimenta reiiceret, cum modico *capitis dolore* intenſa ſiti & *ſapore amarulento.* Inter pulſum frequentem, durum, modice plenum, ſub tuſſi *dolorem in pectoris latere* dextro ſentit. Lingua alba muco albo craſſo tegitur. Ipecacuanhae ſcrupulus cum tartari emetici vnius grani ſtimulo, bis tantum excitato *vomitu*, multam vim *mate-*

materiae mucoſae, ab admiſta bile *fuſcae viridescentis* cum *lumbrico*, exturbauit. Quo facto quietior de nocte per interualla cepit ſomnum.

Laxans, ex pulpae tamarindorum vncia, mannae dimidia, & ſalis cathartici quarta vnciae parte, in multo vehiculo ſolutis, effectum denegauit. Mitores quidem in imo ventre ſunt dolores, ceſſauit etiam dolor capitis; ſed ſub *tuſſi aucta* ingraueſcunt *dolores in thorace pungentes*. A meridie extra lectum verſatus multum ſitit, appetitu non prorſus abolito. Pulſus frequens, modice plenus, parum emollitur, *linguam* albam, humidam, priorem paucae diſtinguunt *papillae fungoſae conſpicuae*.

Poſt leue, vnius horae, *frigus matutinum* laboribus ſuis vacauit.

Altero quoque mane extra lectum verſatus bene valet. Prima vero a meridie hora dimidiae horae *frigus* aeſtus ingens ſecutus eſt, cum ſiti, capitis dolore, & exacerbatis ſub *tuſſi frequenti doloribus thoracis pungentibus*, *ſputoque* parum *cruento*. Pulſus durus, frequens, plenus & aequalis.

Per integrum diem, ſine frigore, continuatur aeſtus, ſitis magna, tuſſisque exa-

cerbata cum largiori ſanguinis ſputo; exaſperato ſimul, ſub inſpiratione breui, pectoris dolore. *Elicitus*, ob pulſum frequentem, durum, plenum, *e vena ſangnis* copioſum ſerum & cruſtam inflammatoriam cineream craſſam exhibuit. Propinatus eſt per epicraſin ex ſalis mirabilis Glauberi dimidia vncia, duabus drachmis nitri, totidemque ſacchari mixtus puluis.

Leuati pectoris dolores pungentes tantum ſub *tuſſi*, frequenter, vrgente parum *humida*, non cruenta, ſuperſunt. Pergit aeſtus magnus cum ſiti, ſine capitis dolore. A repetito laxante nuperiori aluus biduum clauſa, ſubſequente demum die ſoluitur. *Linguae* rubrae, humidae, *mucoſae*, iungitur pulſus duriusculi modice pleni frequentia.

Modeſti ſub tuſſi mitiori ſuperſunt dolores. Pulſus mane paruus, durus, celer, modice frequens, ſub veſperam fit frequens, durus cum quadem plenitudine. Ante meridiem extra lectum verſatur aeger, ciboſque appetit; pomeridianis horis multum ſitit.

Silet omnis dolor, redit ſucceſſiue vigor & *muco craſſiori*, cum tuſſi ſedata reddito, morbus diſſipatur.

1. Specimen morbi mucoſi eſt, quod tranſitum

ſitum facit ex mucoſo in ſubſequens variolaſum, cf. Sect. I. p. 34. & 36.

2. Et in aliis aegris, ad variolas non diſpoſitus easue iam olim paſſis, notauimus ſub miasmate epidemico varioloſo frequentia ſymptomata pleuritica aliaque congnata mala.

3. Febri intermittenti pleuriticae ſimilis eſt; ſputum enim cruentum, vt in ipſa pleuritide, in diem 5tum; tuſſis humida cum expectoratione, morbum ſucceſſiue ſoluente, in dies 7mum & 9num cadit.

4. Patet ex hoc caſu, quanta ſit vomitorium in morbo iuniori virtus.

5. V. Sem indicatam nec in tenera aetate reformidandum eſſe, plures alii caſus nos docuerunt.

HISTORIA VII.

Febris mucoſa benigna cum exanthematibus purpuraceis.

Femina 30 quaſi annorum aliquamdiu inappetentia ciborum, poſt ingeſta vomitu ſpontaneo, cum admiſtis *vermibus,* nec non *diarrhoea* laborauit.

d. 25. *Mart.* Veſperi obortum *horrorem* cum *frigore leui* ſequebatur aeſtus magnus.

Poſtero die per interualla incerta varias notauit horripilationes, cum calore pediſſequo, tumentium artuum *exanthemata* leuiora, *purpuracea*, rubra, pellente, quae ab aeſtu remittente rurſus euaneſcunt.

Deſierunt vomendi conatus, neque fractae a morbo ſunt vires. Vrgent vero per interualla cum reſpiratione frequenti & breui, *dolores* pungentes *thoracis*, nec non dolores in abdomine *colici*, ſubinde grauiores, cum intenſa ſiti, capitis vehementi dolore, & ſapore oris amaro. Adeſt quidem, cum pulſu pleno & multum frequenti, alui fluxus, ſed modeſtus. Lingua alba & ſicca eſt. *Miſſus* e vena *ſanguis* cum impetu proſilit, & in prima patina cruor copioſo ſero circumfuſus tenui cruſta pleuritica tegitur.

Propinata per epicraſin ipecacuanhae dimidia drachma decies & vltra vomitum ciuit, quocum etiam *lumbricus* abſceſſit. Ceſſarunt a meridie in imo ventre dolores: pergit cephalalgia, ſed moderatior. Aucto ſub veſperam calore, vehementer *pruriunt manus ac pedes*, quibus ſcalptis, *cutis* quidem *rubeſcit*, nihil vero exanthematum elicitur.

citur. Emendata reſpiratio citra dolores perficitur: atqua nunc cum recens nata *tuſſi* rariori tantum *pungit dolor in hypochondriis dextris*. Inter alui ſegnitiem, lingua pallide rubra, humida, papillis eleuatis, albis; atque ſimul cum oris ſuperficie interna, *aphthis* flaueſcentibus obſita eſt.

Mane circa horam 7mam *magnum cum frigore horrorem* excepit ſimilis aeſtus. Frequens ac celer ſub aeſtu febrili ſpiritus a *collecto in larynge muco* impeditur: *aucta* cum *tuſſi* in imo ventre dolores, ad medium diem vsque protracti, poſt alui deiectionem euanuerunt. Cum pulſu pleniuſculo, frequenti & duro, poſt pruritum, dum ſcaberentur manus ac pedes, iterum proliciebantur *exanthemata*, prioribus ſimilis, ſine notabili ſudore iuncto. Lingua tempore caloris ſicca, alba, cum macula flaueſcente; veſperi, inter pulſum paruum, fere naturalem ſine frequentia, humida fit, ſimpliciter alba. Aphthis perſiſtentibus ſeſe adſociat *gingiuarum dolor*. In vrina rubella pellucida, demergitur nubecula craſſa, mucoſa. Adminiſtratum per epicraſin laxans ſalinum cum mannae connubio, ſaepius de nocte aluum duxit.

Succeſſit morbi leuamen. Deſierunt

dolores in imo ventre & ſapor amarus; modeſto capitis dolore, modica ſiti & debilitatis perceptione, reſiduis. Redit quoque, cum pulſu paruo, parum frequenti, ac lingua humida, alba, aphthis obſeſſa, appetitus. Poſt mixti, ex aequalibus partibus ſalis ammoniaci & mirabilis Glauberi, pulueris vſum,

extra lectum verſatur aegra, diarrhoeae dolorumque expers. Increſcit aphtharum in lingua omnique oris interni ambitu ſeges; & humidae pallidaeque linguae radicem nunc obuertit tenuis mucus flaueſcens. Pulſus paruus eſt, ſine frequentis atque duritie. Continuatur puluis ſalinus.

In lecto rurſus detinetur, *accenſa* iterum *ſiti* cum paruo capitis dolore. Praeter aphthas conſtantes, *in oris labiis* effloreſcunt *puſtulae*, cum pulſu pleno, duriusculo, frequenti; verſus veſperam cum euphoria aegrotantis ad naturales rhythmos reuertente.

Praeter doloris capitis & debilitatis veſtigia quaedam reſidua, extra lectum verſata aegra nihil aegritudinis ſentit.

Perſiſtentes aphthae ſubinde graues dolores lancinantes procreant. Ceterum conualeſcens appetit, beneque valet.

1)

1) Pertinet hic caſus rarior ad ſpeciem febris mucoſae benignae cum quadam inflammatione. cf. *Sect. I.* p. 34. & 36.

2) Laeſa citra anxietates reſpiratio, inter reliqua ſigna, eruptura bonae indolis exanthemata praeſagit, praecipue ſimul iunctis horroribus; inſtantis criſeos nuntiis.

3) febris typus, ob hiatum d. 2 - 6, determinari nequit; erraticam tamen indolem redolet.

4) memorabilis eſt, obſeruatuque rara, matutina febris d. 8. exacerbatio.

5) aeque inſolita eſt morbi, quarto inde a febris relapſu die, per labia exulcerata ſolutio, ſimulque cognationis cum intermittentibus index.

6) reliqua ſymptomata morbi mucoſi normam ſequuntur.

7) Egregie etiam opitulamur ſimulacris pleuriticis, infantum praecipue, ſuccenturiato exymellii remedio ex manna ſoluta atque ſyrupo quodam acidulo cum ſucci citri connubio, qui, tamquam ſuccus vegetabilis recens, vitio ſcorbutico iuncto optime medetur, atque palato minus aduerſatur.

HISTORIA VIII.

Febris mucoſa ephemera, ſiue acutiſſima.

Iuuenis 23. annorum diarrhoea per aliquod tempus laborauit, quam ceſſantem exceperunt frequentes *anxietates*, *preſſionis* in regione *ventriculi ſenſus* cum ſpirandi difficultate.

d. 11. *Febr.* Circa veſperam *vomitu ſpontaneo* vexatus, ſubſequentes dies ſine notabili morbo inter anxietates ſaepe recurrentes cum appetitu protracto & aluo clauſa, transegit.

d. 15. *Febr.* Veſperi poſt nauſeam & vomitum ſpontaneum ſequutus eſt *horror* cum *graui frigore*. Inde nox inquieta cum intenſo calore, atque ſudoribus, circa ſuperiora praecipue, profuſis.

Supereſt cutis quidam mador & interdiu multum dormienti varia ſub ſomno obuerſantur phantasmata. Cum viribus proſtratis & facie mutata, multas de *doloribus artuum* querelas iactat, per longum tempus morbo laboraſſe ſibi viſus.

Valde ſimul *dolet* vniuerſum, potiſſimum circa frontem *caput*, cum oris ſiccitate

te vrget *intenſa ſitis*, & inter auctas ab ingeſtis potulentis anxietates ſe inflari putat. *Clauſa* manet *aluus*; lingua lata, pallide rubra, tenui muco albo tecta eſt; pulſus paruus, celer & rarus. Poſt *emeticum*, ex ipecacuanhae ſcrupulo & tartari emetici grano cum ſalis cathartici drachmis duabus, ſemel excitato vomitu multam *materiem mucoſam* cum admiſta bile reiecit. Nox inquieta, inſomnis.

Capta emulſio ialappina, ſaepius *aluum*, ingeſtusque a meridie potus Caffee *vomitum* ciuit. Veſperi ventriculi vacui ſenſus eſt, cibos tamen non appetentis. Supereſt moderatus capitis in vertice dolor, & minus nunc oppreſſae vires ſunt, vt iam lecto exſurgere valeat.

Extra lectum verſatur. Inter vſum decocti radicis gentianae, cum lactis anatica portione redit corporis appetitusque vigor.

1) Rariſſime febris mucoſa in ephemerae ſiue acutiſſimae formam euecta eſt. *

2) Diarrhoeam ſiue natura, ſiue arte (male) ſuppreſſam excipiunt anxietates & grauia ſymptomata alia.

3)

* vid. ſupra nota Sect. II. p. 39.

3) Aeſtus febrilis vtplurimum eſt in ratione frigoris praegreſſi.

4) Aluum ſtipatam ſemper in hoc morbo comitantur artuum dolores, quos demum citius ſeriúsue alui profluuium, vel ſpontaneum, vel medicamento motum ſoluit.

5) Magni momenti ad debellandum morbum fuit criſis ſuccenturiata, qua vomitu aeque ac aluo expulſa eſt muci bilioſi copia.

HISTORIA IX.

Febris mucoſa acuta continua, cum malignitate.

Virgo 20 annos nata, plethorica, robuſta ſorori febre maligna laboranti per aliquamdiu adſtiterat.

d. 27. *Nov.* Toto die cum laſſitudine *horripilationes* repetitas ſenſit, quas veſperi excepit calor.

Ipecacuanhae praebium ter vomitum bilioſum mouit. A meridie ſapori ingrato, vappido ſeſe adſociat dolor capitis ad frontem cum pulſu pleno, frequenti. Lingua ad limbum depreſſa eſt, dorſum iugi longitudi-

tudinalis inſtar eleuatum, modice albet. E *ſecta* ſub veſperam *vena* ſanguis ab initio ad finem vsque, per arcum quidem, moderato tamen & inconſtanti impetu, profluit, & cum clangore delabitur. Splendet, ſine omni ſero, cruoris placenta; tenui, alba & ſemipellucida cruſta tecta. Transparent paruae maſſulae floridae: cruor tamen ſub cruſta non diffluit. Propinatum eſt omni bihorio *nitri puri* praebiolum. De nocte per interualla aegra gauiſa eſt ſomno ſatis quieto.

Bene reſpondet aluus, *florent facies* & artus albet cum pulſu moderato lingua. Veſperi cum ſapore vappido captisque dolore, lingua ad apicem & limbos rubet, dorſo albo ſubflauo. *Iterum*, ob pulſum plenum, multum frequentem *ſecatur* in cubito *vena*, eademque ſanguinis indoles notatur, niſi quod *cruſta inflammatoria* craſſior atque tenacior ſit, quam heri; limbus placentae floridus, auctaque maſſularum floridarum copia; parcior vero cruor obſcurior in fundo, admiſto parco ſero diffluat. Ceterum quandam virium iacturam fecit aegra, inter inſomnia per interualla quieuit, ſemelque de nocte aluum poſuit lubricam.

Protrahitur nitri vſus. Linguam non muta-

mutatam comitatur pulſus frequens, pleniuſculus, tuſſicula, & intenſa, ſine capitis dolore; *ſitis.* Vrina turbida, limoſa; ſolutum in lacte lutum quaſi refert; vitri parietes cruſta coerulea obfuſcat & *ſedimentum* craſſum compactum, limoſum demittit. Cedit circa veſperam pulſus multum frequentis plenitudo, atque cum borborygmis *aliquoties fluxit aluus.* Confectam ex aquae eraſorum nigrorum vnciis octo, ſyrupi berberum duabus vnciis cum aceti ſambucini vncia & ſpiritus vitrioli guttis XXV, potionem, ſingulis horis per dimidias cupulas ſumit, cuius vſum ſequitur nox ſatis placida, alui profluuio non turbata.

Eadem adhuc linguae ratio eſt; pulſus frequens parum contrahitur, pergit tuſſicula, & in vrina opaca, flaua, cum circulo, ſubmergitur ſedimentum parcum, ſubflauum, ramentoſum. Reiteratur potio cum ſpiritus vitrioli guttis XXX. Semel tantum hoc mane aluum deiecit aegra; nox ſequens, inſomnis, decurrit ſine alui ſtimulo.

Redeunt capitis dolores, increſcit tuſſicula ſicca & inter modicam virium deiectionem vniuerſum corpus interdiu, citra aegrotantis euphoriam, ſudat. Lingua, alba in dorſo, & pulſus vt nuper notata fuere. Vrina iumentoſa cum circulo poſt aliquot horas demiſit ſedimen-

mentum lacteum copioſum. Cum ſiti notabili ſemel tantum aluus laxa fuit. Noctu parcus, & ſine ſudore, ſomnus.

Laxans, ex ſale catarctici amari ſesquivncia, cum extracti aloes gummoſi gr. viij. connubio, in aquae feruentis vnciis ſex facta ſolutione, ſemel tantum aluum ciuit, & ſimul cum excrementis *lumbricum* pepulit. Vrina flaua duplici *ſedimento* diſtincta eſt, ſuperiori lacteo; & grauiori *mucoſo*, cinereo, cohaerente, in fundo. Lingua non mutata manet vt nuper, & cum pulſu parum frequenti & paruo, intenſa ſitis vrget, ſine ſudorum ſodalitio. Poſt noctem inquietam accepit aliquid emulſionis ialappinae. Inter leuia quaedam tormina ſequuta eſt aluus copioſa, ſine omni verme. Debilis aegrae tormina & alui profluuium cremoribus ſopita ſunt. Querula eſt, licet nihil dolorum ſentiat. In linguae albae, ſubflauae dorſo conſpiciuntur *papillae rubrae*. Pergit, cum pulſu frequenti, parum debili, faciei, modice collapſae, rubor. Subſtitit alui profluvium & noctem per interualla comitatur quies.

Cum modica ſiti, mens deiecta, anxia, querula eſt, pulſus debilis, paruus, modice frequens, linguae, ad apicem & limbum

bum rubrae, dorſum ſubfuſcum, impurum. Vrinam flauam diſtinguit copia ſedimenti leuis, lactei, cruſta coerulea ad vitri parietes, & cuticula pinguis, tenuis, verſicolor in ſuperficie. Ventum eſt ad *extractum corticis* peruuiani, cuius drachmas duas in aquae ceraſorum vnciis octo, addita ſyrupi berberum vncia vna, ſolutas, ad prioris potionis normam propinauimus. Acceſſit cum *anxietatatibus* & modica inquietudine *leuiſſimi frigoris* ſenſus, ita vt per totum diem ſtragulis ſollicite ſeſe obuolueret. Gelidiuscula ſunt tactu externo extrema ſuperiora, pedes naturali calore foti. Praeter dorſum impurum, fuſcum, intenſe rubet lingua. Aluus conſtipata manet, & nox transigitur inſomniis, inter puerelas de caloris defectu.

Extrema rurſus calent, ſed cum pulſus debilis modica frequentia ſupereſt animi deiecti imbecillitas. Ipecacuanhae ſcrupulus cum vnius grani tartari ſtibiati ſtimulo ſexies vomitum bilioſum excitauit, alui ſegnitie pertinaciter manente. Sequuta eſt nox quieta.

Paullo melius habet aegra, modice ſitit, nihilque dolores vspiam in corpore ſentit, praeterquam capitis quoddam pondus. Mens deiecta eſt, vox querula, facies rubra, aluus clauſa, pulſus debilis, vix frequens. Turbi-

Turbida & limoſa vrina obfuſcat vitri parietes. Linguae apex & limbus rubri, dorſi pars anterior alba, radix, cum dentibus ipſis, ſqualida, ſubfuſca. Reiteratur potio cum extracto corticis (d. 9.) Veſperi cum lingua humida, minus fuſca, augetur pulſus parui frequentia. Florida ſunt cum facie extrema ſuperiora, & inter alui ſegnitiem effloruerunt in pectore duae *puſtulae* coniformes. Aluum, clysmate ſemel ſolutam, nox quieta ſequuta eſt.

Lingua ad apicem rubra, humida fit, dorſum album, impurum & aſperum, macula fuſca ſenſim euaneſcente. Vrina, pulſus &c. vt heri notata. Salis catarctici amari vncia cum extracti aloes aquoſi gr. viij. in aquae feruentis vnciis quinque ſoluta, cum additamento quodam ſyrupi roſarum ſolutivi ter aluum duxit. Noctem placidam dein ſaepius turbauit diarrrhoea *mucoſa.*

Cum faciei rubore, pulſus paruus, debilis & modice frequens eſt, ſub veſperam eius debilitas minuitur. Vrina parca, turbida, limoſa, veſperi flaua cum ſedimento albo farinoſo. Adminiſtratur ad priorum normam capienda potio ex aquis ceraſorum & menthae ſ. v. ana vnciis quatuor in quibus diſſoluuntur extractorum corticis Peru-

N viani

viani drachmae duae, & Caſcarillae ſcrupuli duo, additis ſyrupi berberum duabus vnciis. Bis tantum aluus fluxit. Pergit gravari capitis ſenſus, & noua vtrimque ad linguae radicem ſtria fuſca apparet.

Prioribus ſeſe adiungit lacrumatio ſpontanea.

Bis hodie, cum borborygmis, aegra aluum deiecit. Vox perpetim querula eſt, vt ait, prae debilitate. *Duplex* iterum in vrina *ſedimentum* notatur, copioſum ſemipellucidum *mucoſum* (v. d. 7.) in fundo; cui inſidet leuius *lacteum*.

Ter cum aegrae euphoria, vomitum mucoſum ciuit ipecacuanhae dimidia drachma cum tartari emetici ſtimulo. Rubet facies, depluunt inuita aegra lacrumae, & linguae, ad apicem & margines rubrae, in dorſo albae, ſtria fuſca ad radicem augetur. Cum pulſu multum frequenti, paruo, denuo accenditur ſitis, & inter tormina ventris ſequuntur tres alui lubricae deiectiones pulpoſae cum admiſto muco. Vrina turbida, flaua, deiicit leue ſedimentum ſubflauum.

Cum aluo clauſa idem manet ſymptomatum ſatellitium.

Propinatum laxans, ex ſalis Sedlicenſis & Mannae aequali vnciae vnius miſcela in

aquae

aquae feruentis vnciis quinque ſoluta, cum adiecta pulueris rhei drachma dimidia, frequens alui deiectio ſequuta eſt. Vrinae indoles deſcripta manet, & cum pulſu modice frequenti, paruo, paucae lacrumae deſtillant.

Inter modeſtum alui fluxum, reliquis ſignis mitioribus, valetudo ſenſim emendatur. Rubet ſemper facies & vix quidquam in vrina, lingua & pulſu mutationis obſeruatur. Continuatur, reiteratae poſtero die, potionis, cum extracto corticis, vſus.

Humida fit lingua, modice alba cum dorſi fuſci ſqualore. Decreſcit pulſus parum eleuati frequentia, & non amplius praecipitatur vrina flaua. Conualeſcens rurſus appetere, acetaria potiſſimum, & vires recuperare. Subiungitur, ſingulis horis per ſemicupulas ingerendum corticis peruuiani decoctum, cum quartae partis ſyrupi aurantiorum connubio,

inter cuius vſum continuatum denuo ſubſidet in vrina flaua ſedimenti flaui copia, & cum aluo naturali reſtauratur valetudo.

1) Prae aliis miasmate contagioſo facile corripiuntur moerore quodam affecti: Qua quidem ex cauſſa, & contagii vi-

 cinia,

cinia, omnis quandoque familia eundem ſucceſſiue morbum experitur.

2) Citra omnem interdum inflammationem localem in febribus acutis adeſt ſanguinis cruſta pleuritica, ex pulſu cognoſcenda, & cum optimo ſucceſſu ſemel iterumue ſecatur vena.

3) Sanguini ſic inflammato, donec aluus fluat, conducunt ſalia antiphlogiſtica. Facta autem criſi quadam praecipitata (d. 4.) ſtadii inflammatorii transacti & reſolutionis imminentis indice, ſalinis non male ſubſtituuntur antiputredinoſa & diffluentes humores compingentia, acida praecipue mineralia.

4) Senſus quidam, ſine vero dolore, ingratus ac moleſtus, neruis videlicet materia morbida, coctione ſubigenda, obrutis, querulos facit aegros. (d. 8. 15.)

5) Corruptam intermittentium naturam peruuianus cortex, eiusque extractum, emendat atque per interualla ſubinde & frigora discerpit (d. 9.)

6) Frigus cum aluo ſtipata & anxietate (d. 9.) latens qualecumque exanthema vel futuram ſuppurationem, denunciant. (d. 11.)

7)

7) Somnus, pulſus quaedam fortitudo, lingua fuſca & aluus ſtipata optima ſunt coctionis ſigna. Tacite enim natura opus ſuum perficit, ita, vt ſine ſomno bona & laudabilis coctio fieri nequeat.)

8) Intenſus linguae rubor atque papillae eminentes floridae verminoſum ſymptomata, & in febre mucoſa continua acuta analogon aphtharum ſunt. Idem valet de nimia linguae ſenſibilitate. Cedit etiam hoc ſymptoma, vermibus foras emiſſis. cf. hiſt. ſq. d. 14. & 16.

9) Sedimentum vrinae mere mucoſum procul dubio ex lacunis mucoſis vrethrae & reliqui vrinae itineris critico modo egeritur. Turgere enim & harum partium folliculos muco congeſto, ſubinde notauimus; (cf. SECT. I. n°. IX. p. 32.) quale etiam vaginae vterinae elegans ſpecimen exſculptum videre eſt in ill. PRAESID. *iconibus de vtero humano* Tab. VIII.

HISTORIA X.

Febris acuta, mucoſa, bilioſa, ſanata.

Virgo 20. annos nata, *plethorica & corporis robore vigens, intermittentes in prima*

iuuentute paſſa & menſtruum fluxum rite, praeter vltimos menſes, experta, poſt aliquot dierum laſſitudinem & auctam ſenſim artuum grauitatem.

d. 16. *Nov.* notabili ſub veſperam *frigore* febrili licet corripiatur, nihil appetat, venamque in pede d. 19. Nov. ſecari curet; ſuis tamen negotiis vtcumque vacat.

d. 20. *Nov.* Lectum demum petiit. Emeticum ſexies vomitum bilioſum civit, aluo ſimul naturali modo reſpondente. Cum *capitis* ad frontem *dolore floret facies* & inter modicam virium proſtrationem augetur *ſitis*, inprimis de nocte. Linguae parum trementis dorſum ſiccum & muco albo tectum eſt. Madet leui ſudore corpus, mox ceſſante. Pulſus plenus & frequens modiceque tardus eſt. Somnus ſiti aluique quatuor deiectionibus, ſine dolore iuncto, turbatur.

Aucto febris aeſtu, reſpiratio breuis & frequens fit; lingua ſqualida, ſubfuſca, ſicca, ad apicem obſcure rubra. Accedunt leuis *tuſſicula ſicca*, ſitis intenſa, cum *frequenti ad deſidendum ſtimulo.* Vrina limoſa multum ſedimenti albi & ramentoſi deiicit atque circulum relinquit. In vſum vocantur acida vegetabilia cum mineralis parco connubio. Sub ſomnum ſatis quietum ſequitur *ſudor* vniverſalis.

Eua-

Euanuit capitis dolor; ſed *dolent cum fractis viribus artus*, ac ſi fuſtibus eſſent conquaſſati. Licet hodie multum ſudauerit, ſexies tamen fluxit aluus. Auctae ſub veſperam pulſus, interdiu parum contracti, frequentia & plenitudo, poſt ſectam in cubito venam pauxillum minuuntur. Depluit ſine ſaltu, modo guttatim, modo lento riuulo, ſanguis; in placentam coit ſplendentem ſine omni ſero, cruſta inflammatoria craſſa, alba, ſemipellucida tectam. Subtus transparent paruae cruoris maſſulae rubrae, cruſtae partim adhaerentes, partim in cruore tenui natantes. Lingua multum ſqualida, ſubfuſca; ceteroquin, velut vrina, vt heri manet. Saepius de nocte inſomni & *phantasmatibus* interpolata, reddidit, *excrementa flaua*, & foetida atque multo *ſudore* maduit.

Mane appetit acetaria, augetur *tuſſicula parum humida*, gelidiuscula ſunt extrema ſuperiora, atque *excrementa foetida* quatuor deiectionibus *cum impetu* propelluntur. Continuatur mixturae acidulae vſus, ex aquae ceraſorum nigrorum vnciis octo, ſyrupi berberum duabus vnciis, additis aceti ſambucini vncia & ſpiritus vitrioli guttis XLV, compoſitae. Sedatiores ſudores nunc excipit *aurium*, veluti a molendina, *ſuſurrus*. Vires fractas adhuc dum comitantur reſpiratio fre-

quens & impedita, faciei rubor & modica ſitis. Pulſus frequens & pleniusculus eſt cum modica duritie. Vrina veſperi fere ſemper parciori copia redditur opaca, flaua, cum circulo ad marginem & ſedimento copioſo albo, lactis coagulati ſimili; iterum craſſo, ramentoſo, leui. Nox inquieta agitur ſine ſudore, vrgente octies diarrhoea.

Paullo liberior eſt reſpiratio. Licet extremitates calore naturali rurſus foueantur, aegra tamen ſtragulis ſollicite corpus obtegit. Lingua ſenſim magis albeſcit, humida fit & acuta, cum macula impura & ſubfuſca ad radicem. Vrinae & pulſus, ſi a duritie receſſeris, eadem adhuc ratio eſt. Semel tantum interdiu aluum poſuit fluidam: nox vero neque ſudore, neque alui profluuio interrupta eſt, ceterum praecedenti nocti ſimilis.

Cum pulſu modice frequente, modo pleniuſculo, modo contractiore & impedito, *leuatur aurium ſuſurrus*. Lingua maximam partem alba eſt: vrina opaca, craſſa, cum circulo & ſedimento ſubflauo. Modica ſupereſt reſpirationis frequentia. Veſperi tamen cuncta *ſymptomata in peius vertuntur*. Sexies interdiu reddidit *excrementa* foetentia, ſpumantia, fuſca, *putrida*. (Suo genio in-

indulgens aegra, rurſus, vt iam aliquoties, *carnium iuscula* ingeſſerat.) Cum virium fracturae augmento angit reſpiratio frequens & multum impedita, ita vt prae anxietate artus iactitet. Vix potulenta poſcit. Linguae acutae apex & limbus obſcure rubent, dorſo ſicco, ſordido, ſubfuſco. Dentium ſuperiores ſicci, inferiores modice humidi ſunt. Pulſus inconſtantis & impediti frequentia augetur; & in vrina flaua, pellucida, cum tenui nubecula in fundo diſperſa, deſideratur circulus. In continuata mixtura, iam octies exhibita, hodie ſpiritus vitrioli guttulae ad LXXV euehuntur. Inquieta quater de nocte aluum deiecit.

Laxatur rurſus, cum leui tamen tremore, lingua; redit quoque vrinae opacae & modice rubrae circulus ad marginem cum circumſcripta nubecula ad fundum; parum emendatur reſpiratio, auriumque ſuſurrus nunc penitus fere ceſſat. Ob ſaporem mixturae, aegrae palato nimis auſterum dentibusque inimicum, guttulae XV acidi mineralis ſubtrahuntur. Sitis expers aegra acetaria appetit. Gelidiuscula fiunt, dum exſeruntur, membra. Vrina veſperi reddita clara & flaua eſt cum nubecula: pulſus vix frequens, impeditus, ratione impetus inconſtans & parum vndoſus. Ter interdiu, quater

noctu, per interualla placida, aluum poſuit.

Poſt decimam mixturae portionem, ſtragulis ſemper ad collum obtecta aegra continuat de ſapore mixturae auſtero querelas. Inde dedimus aliquas remediorum inducias. Lingua extenuata, lata, multum humida eſt cum dorſi ſqualore: vrina opaca, craſſa, turbida vitri parietes obfuſcat atque nubeculam deiicit. Pulſus durus, impetu inconſtans, ſine notabili frequentia eſt. Florida ſemper manet facies: cum parum impedita reſpiratione, ſine ſudore, pergit etiam *tuſſicula*, nunc *humidior*. Silet interdiu alui profluvium, de nocte vero ſomnus, per interualla placidus, ſiti, & quinquies diarrhoea, turbatur.

Reſuſcitatam ſitim comitantur *audiendi facultas deprauata*, reſpiratio impedita & modice frequens, cum pulſu duriuſculo, inaequali & modice frequente. *Papillis* obſcure *rubris*, in apice eleuatis atque fiſſuris in dorſo transuerſis nunc diſtinguitur *lingua* lata, rubra, glabra, ſicca. Vrina flaua & pellucida nubeculam habet. Noctu, per interualla quieta, quinquies deiecta ſunt *excrementa mucoſa*, non amplius putrida.

Propinauimus nunc potionem ex aquae men-

menthae ſ. v. vnciis octo & ſyrupi berberum duabus paratam, addita *extracti corticis peruuiani* vncia dimidia, ſingulis horis per dimidias cupulas capiendam. Deterſis omnibus papillis, linguam latam, laeuem, rubram, humidam obducit *mucus.* Cum ſiti aucta, *audiendi difficultas ad ſtuporem vsque* ingraueſcit. Sub reſpiratione notatur leuis, a muco collecto, *ſtrepitus laryngeus*, atque in vrina tenui & pellucida ſparſae ſunt vbiuis nubeculae exiguae. Satis quietam transegit noctem, aluo ſemel tantum ſoluta.

Pergit cum faciei rubore, ſiti, auditus hebetudine & ſtupore, auctis, reſpirationis breuis & pulſus duriuſculi moderata frequentia, *ſordibusque* ſenſim *obueſtiuntur artus.* De medicamenti ſapore nimis aromatico aegra querimonias fundit, atque adeo nimiam linguae ſenſibilitatem indicat. Tenuem fecit vrinam pallide flauam, praeter particulas minimas, puluerulentas, innatantes, pellucidam, nubecula deſtitutam. Ter interdiu ſoluta aluus eſt; ſexies de nocte diarrhoea mucoſa ſomnum intercepit.

Sparſae in vrina nubeculae, ſemel aluus ſoluta, pulſus pleniuſculus vix frequens, & per noctem minus placidam quinque alui deiectiones ſunt notatae. Reliqua cum prae-

ce-

cedentibus diebus congruunt. Tertium reiteratur potio.

Mane duos *lumbricos emortuos* inter excrementa aluina eiecit. Perſeuerant reſpiratio frequens & breuis, ſitis, tuſſicula humida & ſtupor, cum pulſu frequenti, parum debili, ſub veſperam pleno. *Vomitorio* ex ipecacuanha, cum tartari emetici ſtimulo, quinquies reſpondit effectus. Lingua humida, muco albo & macula ſubfuſca notata, hodie minus rubet. Ceterum priora ſymptomata reſidua manent. Inter inſomnia turbulenta & diarrhoeam quinquies citam, parum de nocte dormiuit.

Mane *ſalis cathartici* amari vncia, cum IV. granis extracti aloes, in aquae ſ. q. ſoluta, pluries aluum duxit. Minuuntur ſtupor, audiendi difficultas, pulſusque pleni & molliusculi frequentia. Cum ſiti aucta, liberior fit reſpiratio & purior lingua. Vrinam reddidit cereuiſiae ſecundariae ſimilem, flauam & opacam.

Laxans ſalinum iterum cum ſucceſſu exhibitum eſt. Vrgent ſitis cum acetariorum deſiderio & audiendi difficultate, quibus nunc quoque iunguntur *moderati ſopores*. Inde per aliquot dies *cutis* in regione *oſſis ſacri exulcerata*;

cerata: eſchara nigra tegitur. Aegra, *hactenus ſupina*, nunc prae dolore iſtius loci *in latus deuoluitur*. Lingua lata, rubra, modice ſicca atque tranſuerſim fiſſa eſt; vrina flaua & opaca; pulſus minor & debilior ac heri. Sequuntur de nocte frequentes alui deiectiones.

Abhinc bis repetitae mixturae refrigerantis ſupra deſcriptae, cum acidi mineralis guttis XXX, moderata praebia ſumſit. Praeter *vlcus* in regione oſſis ſacri, pus tenue fundens, aliud nouum *in regione trochanteris maioris*, eſchara tectum, notatur, cum margine leuiter inflammato. Inter ſymptomata leuiora, lingua humida ſordibus tegitur, cum pulſu parum debili & molliusculo. Quinquies, vt in praecedenti nocte, ſomnum diarrhoea intercepit.

Ingraueſcente audiendi labe, *ſurda* fere, ſaltem admodum *ſtupida* eſt aegra. Bene ſuppurant vlcera & cum pulſus debilis modica frequentia conſtans manet faciei rubor. Tenuis & ſubopaca redditur vrina. Squalida, mucoſa & ſubſicca lingua, macula fuſca ſuperſtite & fiſſuris calloſo margine circumſcriptis notata, a meridie denuo humeſcit. Quater vomitum ciuit exhibitum emeticum, ſubſequente per noctem, cum pulſu frequenti, ſexies diarrhoea.

Cum

Cum leuata auditus labe pulſuque tenui & paruo, mane ſemel aluus ſoluta eſt. Linquam ſiccam cum macula fuſca, obueſtit ſqualida cruſta. Vrina parca, ſaturate flaua, craſſa & opaca eſt. Cum ambitu inflammato multum dolet locus exulceratus & in veram foueam excauatur, in cuius media parte nuda diſſeminatae conſpiciuntur papillae cutaneae. Poſt exhibitam, ex ſoluti in aquae diſtillatae vnciis octo, extractorum corticis peruuiani duabus drachmis & caſcarillae totidem ſcrupulis, cum adiecto ſyrupo papaveris rheados, paratam potionem, melius veſperi habet aegra. Ceſſauit nempe diarrhoea, *lingua humidior* facta eſt & cum pulſu pleniuſculo, frequenti, effloruerunt aliquot *puſtulae* in brachio & alterutro crure, inter quas etiam *furunculus*. Repetitur potio ſine caſcarillae extracto. Semel de nocte parum quieta aluum poſuit.

Dorſum linguae humidae, aſperae, modice albae, impurum eſt, deletis maximam partem cum macula fuſca fiſſuris. Vix notabilis ſupereſt audiendi labes. Cum pulſus, ſub veſperam pleni, modica frequentia, ad frugem quoque redeunt reſpiratio & *ciborum appetentia*. Vrina ſubopaca exiguis flocculis diſperſis parum turbatur: & inter quartum

tum iteratae potionis vſum, ſemel interdiu totidemque de nocte fluxit alvus.

Pellucida vrina leuem nubeculam deiicit. Inter pulſus pleniuſculi & fortis modeſtam frequentiam, cum aluo clauſa, *puſtulae* illae fiunt *purulentae*, variolis minoribus ſimiles. Bene appetit aegra & nunc demum, debilitata quidem, cum grato quodam leuamine ſentit, ſe morbo laboraſſe. Lingua humida, alba, eminentibus in parte poſteriori papillis aſpera eſt. Subiungitur corticis peruuiani decoctum.

Cum pulſu pleno, molli, modice frequente & aluo naturali, denuo transverſim finditur lingua parum tremula, fiſſuris poſtridie rurſus deletis.

Subſidet in vrina opaca, cum circulo ad marginem, nubecula craſſa, & inter conſtantem faciei ruborem vſumque decocti continuatum bene ſuppurant vlcera ſpontanea.

Succedit cum ſiti & inter priora ſigna, in vlcere praecipue femoris, bona puris coctio, & interdiu extra lectum verſata aegra cum valetudine ſenſim in gratiam redit.

1) Ob corporis vigorem & robur vniuerſale, febris, vt in hiſtoria praecedente, euecta

euecta eſt in acutam, continuam. cf. p. 104. 2)

2) Menſium obſtructio ſaepe comitatur vitium quoddam abdominale, ideoque morbo epidemico ſuſcipiendo fauet.

3) Sub initium morbi ſudores cum praematuro vrinae ſedimento & frequente ſimul diarrhoea, ſenſim bilioſa, tamquam criſes praecipitatae, morbi malignitatem manifeſtant eiusdemque diuturnitatem praeſagiunt.

4) Melioris notae fuere criſes imperfectae & leuantes per tuſſiculam humidam, metaſtaſin ad neruos auditus (d. 7.), cum ſubſequentibus (d. 12.) diarrhoea mucoſa, (d. 13.) ſtertente in larynge muco & (d. 13. 14.) ſtupore; quorſum & vermium excretio (d. 16.) referri poteſt. Multum quoque leuaminis tulerunt criſes artificiales, vomitorio & laxantibus (d. 16. ſqq.) factae. Facile tamen, emendata ſenſim coctione, reliquis praeſtantia & laude eminent naturae in ſuppurationem molimina. (d. 18. 19. 21. 23.)

5) Aurium ſuſurrus cum hebetudine auditus & ſtupore in febribus malignis diutur-

diuturnitatis ſignum atque bonum malae cauſſae ſunt indicium: vices enim deliriorum ſoporumue gerunt, atque, tamquam metaſtaſis congener, illa ſymptomata modo auertunt, modo viciſſim ſoluunt. Hinc quoque in abdominis neruos praemature translata rurſus illa metaſtaſi, ſymptomata neruoſa ſtatim recrudeſcunt, ſenſus cum delirio acuuntur vel ſopore opprimuntur, atque ſuſpenſa nunc, vel prorſus ſufflamminata, qualicumque coctione, iam incepta, humores in reſolutionem ruunt. cf. Hiſt. XIII. XIV.

6) Apprime in febribus malignis victu animali augetur putredo abdominalis: facile enim in naturam ſaburrae putridae adſimilantur ex regno animali ingeſta. Adeoque male a nonnullis ante ſubactam putredinem in febribus malignis, ex praeconcepta opinione falſaque theoria, adminiſtrantur carnium, ad ſuffulciendas vires, iuscula: tantum enim abeſt, vt vires hinc reſtaurentur; vt potius noua putredinis colluvie magis protinus peſſundentur.

7) Leuiſſimus frigoris gradus (d. 11.) inſtantis criſeos imperfectae, tuſſis nempe

humidae & metaſtaſeos in neruos re-vertentis, nuncius eſt.

8) Collectae circa d. 14. in cute ſordes criticis excretionibus febrium maligna-rum accenſendae ſunt.

9) Ob reſiduae putredinis, ex alui pro-fluuio frequentiori & bilioſo dignoſcen-dae, indicia, ſero iterum reuertendum fuit (d. 19.) ad acidorum vſum.

10) Tranſacto ſtadio morbi acuto, no-tabile eius inde a d. 21. decrementum & linguae mutatio cum reliquo decur-ſu certiſſime indicant, reſiduam per aliquamdiu febrem non niſi meram lentam eſſe, continuata puris in vlceri-bus ſpontaneis & puſtulis coctione, cor-ticis extracto & decocto adiutâ, ſalu-tarem.

HISTORIA XI.

Febris mucoſa acuta, ex maligna intermittens.

Iuuenis 20 annos natus, qui ante trien-nium *febre intermittente* laborauerat,

d. 17. *Dec.* quum veſperi ex appetitus defectu morbi initium notaſſet, poſtero die

hor-

horrores demum cum dolore capitis leuiore ſenſit.

Poſt conatum vomendi & *vomitum bilioſum*, *doloribus in imo ventre* ſeſe adſociat *diarrhoea mucoſa*, *ſanguine remixta* & in craſtinum diem protracta.

Appetitum proſtratum comitatur *ſitis*. Veſperi poſt vſum mixturae, ex aquae deſtillatae vnciis ſex, ſyrupi berberum duabus vnciis & ſpiritus vitrioli guttis XXX. paratae & qualibet hora per dimidias cupulas propinatae, moderatior diarrhoea ſine remixto ſanguine continatur. Laſſus, ſine capitis dolore, extra lectum adhuc verſatur atque *cum ardore & difficultate reddit vrinam* turbidam & limoſam. Pulſus celer, contractus & duriusculus eſt, cum modica frequentia.

Adeo intenditur *alui ſtimulus*, vt qualibet fere dimidia hora inter *tenesmos* & *ventris dolores cum impetu deiiciantur excrementa parca*, *liquida*, *mucoſa*, *viridia*, *nigricantia*, *foetida & cruenta*. Virium decremento iunguntur animi inquieti moroſitas, pedum dolor, & per interualla *punctu-rae in thoracae*. *Linguae* latae, pallide rubrae, dorſum obducitur tenui *muco albo*, ſicco, verſus radicem flaueſcente, *cum papil-*

lis acutis & *prominulis*. Pulſus ab heſterno non diſcrepat. Pergunt, cum *ſiti intenſa* & appetitu deficiente, *aucta mingendi difficultas & ardor:* atque in vrina turbida, limoſa & flaua praecipitatur ſedimentum paucum, mucoſum, ramentoſum & album. Continuatur a meridie, quam male aeger ante meridiem ſepoſuerat, mixtura cum guttarum XL. acidi mineralis connubio. Noctem multum inquietam ſequitur,

diarrhoea ſedatior. Licet autem per integras horas aluus non deiiciatur, *ſtimulo* tamen & *tenesmis* ſaepius *ad deſidendum* aeger adeo laceſſitur, vt per quadrantes horae in ſella interdum remoretur: ſine torminibus tamen & doloris in imo ventre ſenſu redduntur *excrementa parciſſima, alba & mucoſa*. Lecto aeger non niſi per interualla incumbit. Linguae eadem adhuc ratio eſt, niſi quod mucus in dorſo auctus magis nunc flaueſcat. Parce & cum difficultate excernitur vrina, multum turbida, heſternae ceteroquin ſimilis, ſedimento tamen tarde admodum ſubſidente. Pulſus paruus, duriusculus & inaequalis; ſub veſperam plenus, frequens & inaequalis eſt, cum modica duritie. In vſum nunc vocauimus, ſingulis horis per bina cochlearia ſumendam miſcelam, ex aquae menthae ſ. v. vnciis ſex, ſyrupi aurantiorum dua-

bus

bus vnciis, cum *extractorum corticis peruuiani* vncia dimidia & centaurii minoris drachma vna. Clyſmate ſimul, ex cremore auenaceo, aluo cum ſucceſſu proſpectum eſt. Tranquillo ſomno refectus aeger noctu *multum ſudauit*.

Inter mitiores teneſmos ter tantum per totum diem aluo deiecit excrementa pauca & mucoſa. Vrina vberior, cum quodam ardore reſiduo miſſa, rubella, circuli expers, parum turbida, vim *ſedimenti* leuis, *mucoſi*, lacte.. ..mentoſi demittit. Paruus modiceque frequens pulſus, ſine celeritate & duritie parum inaequalis, ſub veſperam abit in paruum, frequentem & duriuſculum. Lingua nouam mutationem non ſubiit. Inſomniis agitatus aeger *ſudore vniuerſali* & profuſo, ſub ſomno diffluxit.

Aluus citra notabiles teneſmos fluxit vt heri; nec praeter ructus & dolorem quemdam in hypochondrio ſiniſtro, inde a meridie plane ſopitum, quidquam incommodi aeger in abdomine ſentit. Redeunt, cum modica ſiti ſuperſtite, appetitus & vires, ita, vt horis pomeridianis aeger obambulare queat. Paruus, mollis & ſine frequentia inaequalis pulſus, quin intermittens; veſperi fit frequens, plenus & regularis, cum quadam

dam duritie iuncta. Largiori copia & cum mitiori ardore mittitur vrina flaua, parum turbida & limoſa, cum copioſo ſedimento, heſterno ſimili. Linguam latam, pallide rubram, humidam & puram obſident papillae conſpicuae. Noctu aliquoties diarrhoea, nullis autem inſomniis turbatur ſomnus *cum ſudore*.

Modeſte fluit aluus mucoſa & cuncta emendantur. Superſunt ſine ſapore peruerſo ructus, poſt ingeſta ſolidiora preſſio quaedam in imo ventre, leuisque ardor vrinae copioſae, rubellae & priori ſimilis. Pulſus plenus, duriusculus & cum modica frequentia parum inaequalis eſt. Linguae ratio eadem manet. Continuatum hactenus remedium (d. 5.) ſub veſperam quarta vice reiteratur. Sequitur cum ſomno placido *copioſus ſudor*.

Aliquot deiectionibus cum teneſmo pauca tantum excernuntur mucoſa. Ex voto appetit aeger &, licet ſudoribus parum debilitatus, extra lectum verſatur. Contrahitur lingua ad apicem & limbos rubra, humida, cum craſſo dorſi muco flaueſcente. Inter modicam frequentiam acceleratur pulſus parvus, contractus & duriusculus. Vrina a praecedente non diſcrepat. Frequens de nocte, ſine

ſine tenesmo & poſt placida ſomni interualla fluit aluus.

Diarrhoea penitus ſe habet, ac heri. Multum viget appetitus & lecto aeger nunc facile caret. Dum mingit, reſiduo vrinae leuiori ardori dolor quidam adiungitur in hypochondrio dextro, iuxta criſtam oſſis ilium. Subſidet in vrina copioſa, flaua & ſubpellucida, multa vis *ſedimenti albi & levis*, admiſto ſimul pauco *lateritio*. Cum pulſu pleno, duriuſculo & ſine frequentia aequali, adeſt lingua pallide rubra & humida, tenui muco albo tecta. Subiunximus demum abdominale medicamentum ex duabus eſſentiae aurantiorum drachmis, liquoris mineralis anodyni Hoffmanni vna drachma totidemque elixirii proprietatis Paracelſi, paratum, ſingulis horis per 50 guttulas capiendum.

Citra diarrhoeam interdum *ſincerum mucum* reddit aluus. Cum pulſu frequenti, naturali ceterum, vires cum appetitus vigore reſtaurantur. Supereſt leuis ardoris ſub vrinae miſſione ſenſus, cuius, ſimul cum lingua, eadem indoles eſt, ac heri.

Manet heſterna alui ratio; niſi quod flatus, borborygmi & ab ingeſtis preſſio in

epigaſtrio notentur. Linguae latae radix obducitur muco tenui & flaueſcente. Extenuatur pulſus celer cum modica frequentia: & in vrina copioſa, flaua & ſubpellucida, ſola, nubecula tenuis demergitur. Reiteratur miſcela d. 10 praeſcripta.

Continuatur modeſta & parca *muci per aluum excretio* cum aegri euphoria: lingua humida fit, pulſusque, praeter modicam celeritatem, naturalis.

Aluus naturalis eſt, vigent, cum pulſu pleno & parum frequente, vires & appetitus, atque enato leui *circa malleolos tumore*, morbi reliquiae per *ſudores ſub ſomnum* e corpore proſcribuntur.

1) Egregium febris mucoſae ſpecimen excrementis ſanguinolentis, dein mucoſis, teneſmis atque in imo ventre doloribus &c. & memorabili vrinae ardore, affinitatem mali cum dyſenteria genitrice manifeſtiſſimam facit.

2) Neque obſcuriorem morbi mucoſi cum intermittentibus cognationem ex intermiſſionibus quotidianis, pulſus typice mutati rhythmis, poſt ſingulos paroxysmos ſudoribus nocturnis &, poſt corticis efficaciam, ſequuto demum pedum tumore cognoſcimus.

3)

3) Domita medicamentis putredine abdominali, febris indoles, in malignam ex proprio genio euehenda, ita emendata eſt, vt propius ſenſim ad intermittentium naturam acceſſerit. cf. Hiſt. IV. n. 8.) p. 112.

4) Non multa & ſemper mutata, ſed propria & frequenter repetita remedia, morbos ſanant. Parum cognoſcit morbum, qui ad quemlibet aduentum, etiam aegro non viſo, mox formulam, ex ſerie ſua memoriter habitam, ſcribit: incipientem morbum cognouit medicus, qui primum medicamentum cum aegri euphoria diu protrahere poteſt.

HISTORIA XII.

Febris mucoſa acuta, inflammatoria.

Femina 34. *annos nata.*

d. 19. *Mart.* veſperi *magno horrore*, corripitur, quem noctu cum potulentorum, *vomitu* excitato, reiectione & *intenſa ſiti*, excipiebat aeſtus ſine ſudore.

Inter *pectoris dolores pungentes* parca apparuere *ſanguinis menſtrui veſtigia:* poſtero die ſecatur vena & ſexto demum oboriuntur *deliria*, ſub initium placidiora.

Exacerbantur ſub veſperam *deliria*, noctu *grauiſſima*, ita vt valde ſuſpicax aegra lecto exſiliat. Iunctae *anxietates* ſimul adeo euehuntur, vt ſui non amplius conſcia, veſtimenta reiiciat manibusque admotis *praecordia* ſubinde *ſcalpat*. Neque notabiles in imo ventre dolores ſentit, neque potulenta petit; oblatis tamen auide ſeſe ingurgitat. Pulſus admodum debilis, tenuis & frequens, tactum fere ſubterfugit: *reſpiratio impedita*, breuis & frequens eſt, cum *ſtertente in laryngе muco*: *aluus* hactenus *ſemel tantum ſoluta*. Ob ſaporem peruerſum potus cremoracei amaritiem increpat aegra. Hora a meridie quarta ipecacuanhae ſcrupulus, addito tartari emetici gr. j. & ſalis catarctici drachmae vnius ſtimulo, quinquies excitato *vomitu* parciori exturbauit *materiam fuſcam* & *mucoſam* ſine alui deiectione.

Mane, cum pulſu pleniore & liberiore, melius habet aegra: pergunt tamen cum loquela obſcura & reſpiratione breui, frequente & ſine ſtertore iuncto impedita, anxietates. Propinati per epicraſin laxantis; ex ſalis Sedlicenſis duabus vnciis, mannae Calabrinae vncia & aloes violatae gr. vj. in aquae ferventis vnciis octo facta ſolutione; prima cupula dimidia *vomitu* euocauit duos *lumbricos* magnos, *quibus expul-*

ſis

ſis anxietates ceſſarunt. Delira tamen adhuc eſt aegra, propriosque digitos perpetim tractat. Sumto negligentius remedio, alvus manet praecluſa.

Inter mitiora deliria aegra placatur: multum tamen *impedita* manet *reſpiratio,* ita vt *erecta ſemper in lecto ſedere cogatur.* Pulſus tenuis frequens & durus eſt: lingua craſſa, alba & ſubſicca: aluus ſemel hodie ſoluta. Sumtis vno alteroue remedii praebiolo, eius vſum protrahere recuſat. Quieta aegra noctu tres horas dormiuit atque ſub ſomnum purum ſudauit.

Cuncta emendata ſunt: reſpiratio bona, loquela clara, aluus ſoluta, & cum pulſu pleniore, molli & parum frequente, lingua pallide rubra, humida & pura. *Tuſſi* crebriore *vis muci* excernitur. A meridie infeſtat vertigo.

Iam extra lectum verſatur aegra, appetit & cum modeſta *tuſſi mucum* ex voto *reiicit.*

1) Manca licet ſit haec morbi mucoſi hiſtoria, magnam tamen eiusdem cum morbis thoracicis inflammatoriis ſimilitudinem produnt dolores in pectore pungentes, difficilis reſpiratio, collectus in laryn-

larynge mucus & conſueta demum expectoratio critica.

2) Inflammatoriam huius morbi indolem ex pertinaci alui obſtructione, epidemiae decurſu *), vitii circa hanc anni tempeſtatem ex fluido mucoſo in gelatinoſum tranſitu **) aliarumque obſervationum analogia ***) perſpectam habemus.

3) Ex magno horrore initiali atque inſidioſarum blanditiarum ſub initium morbi ****) abſentia, docemur, hanc febrem malignitatis eſſe expertem. Vtplurimum quidem morbi epidemici tempore vernali exuunt malignitatem; ſed non ſtatim eorumdem vehementiam.

4) Peſſima in morbis acutis ſigna nonniſi ex ſodalitio reliquorum ſignorum atque ipſius morbi indole aeſtimanda ſunt. Ita hypochondria cum deliriis, anxietatibus aut ſoporibus dolentia grauem quidem in viſceribus illius regionis congeſtionem, preſſionem aut inflammationem indicant: in morbis tamen peripneu-

*) cf. Sect. I. p. 34.
**) cf. ib. p. 36.
***) cf. infra Sect. ead. XI.
****) cf. Sect. II. p. 67.

ripneumonicis & ſine malignitate inflammatoriis illa ſymptomata ineluctabile factum non portendunt; ſed laudabili coctione & ſalutari criſi, expectoratione potiſſimum aliaue excretione, haud raro feliciter ſoluuntur. Interdum etiam mere ſymptomatica illa mala a cruditatibus primarum viarum, vermibus aut ſpasmis oriuntur, quibus ablatis, niſi penitus ſufflaminentur, multum ſane leuantur.

5) Abſcedentes d. 9. lumbrici, procul dubio critico modo d. 7. iam extincti, biduum emortui exitumque exſpectaturi latitarunt, donec ſtimulus pellens acceſſerit. cf. Hiſt. I. n. 5.)

6) Paucioribus remediis opus eſt, quoties ſuo ipſius conamine bonam criſin molitur natura, optima morborum medicatrix: generoſiora & plura requiruntur, quo magis illa a ſalutari tramite aberrat.

HISTORIA XIII.

Febris mucoſa ſoporoſa, ſanata.

Vir 40. *annos natus*, annis proxime praeterlapſis aliquoties ex febre acuta inflam-

ma-

matoria laborauerat, V. S*bus* ſemper leuata, qualem etiam proxima praegreſſa aeſtate eluctatus erat.

d. 24. *Nov.* A meridie laſſitudinem inſolitam & leuem capitis dolorem ſenſit. Veſperi *horrore magno* & *frigore* perculſus lectum petiit, noctemque cum aeſtu & ſiti intenſa transegit.

Emeticum nauſeam tantum cum vomendi conatu excitauit; ſequente nocte aluum duxit.

Veſperi cum capitis dolore exacerbatur febris, proſternitur appetitus, *intenſa ſiti* acidorum deſiderium mouetur & inter modicam laſſitudinem *anxietatibus opprimuntur praecordia. Lingua* lata, humida & *ſqualida muco albo nitente*, & verſus radicem flaueſcente, tegitur. Pulſus plenus, magnus, duriusculus & modice frequens V. S*em* ſuadet. Cum impetu & clangore primum, arcu facto, ſanguis in patinam delabitur; impetu autem ſenſim fracto ad membrum depluit. Animo delinquitur aeger, in lectum tamen repoſitus reficitur. Primae patellae placenta, cum maculis cinereis & inflammatis in ſuperficie limboque coccineo, pauco ſero flavo tegitur: in altera patella placenta cruſtae inflam-

inflammatae expers, coccinea, cum parco ſero, patinae paſſim adhaeret.

Ante meridiem leuatus aeger, dolore capitis & praecordiorum oppreſſione immunis, tantillum appetit lectoque carere poteſt. Hora a meridie prima, cum oppreſſione praecordiorum & laſſitudine impetit *intenſum frigus*, per aliquot horas protractum. Sequitur, inde a ſuperioribus inferiora verſus deſcendens aeſtus magnus, per totam noctem perſeuerans, cum dolore capitis, intenſa ſiti alternisque horripilationibus iunctis. Linguae ratio non mutata eſt; pulſus vero parum contractus, frequens & duriusculus. Singulis horis cupulae praebium ſumſit miſcelae, paratae ex ſolutis, in aquae feruentis duabus vnciis, tartari ſolubilis drachmis duabus & nitri puri vna drachma, additis oxymellis ſimplicis vnciis ſex.

Mane cum aeſtu mitigato & appetitu proſtrato pergunt capitis dolor & magna ſitis. A meridie, poſt alvum ſolutam, cum ipſo capitis dolore ingraueſcunt calor & appreſſorum praecordiorum moleſtia. *Finditur linguae*, ad apicem & limbum humidae & rubrae, *dorſum* ſiccum, *muco albo* & verſus radicem *flaueſcente tectum*. *Vrina* limoſa, cum circulo ad marginem, deiicit *ſedimentum*

album

album & leue. Continuatur potio. Per noctem inquietam protractum aeſtum tandem excipit *ſudor vniuerſalis & profuſus.*

Mane, praeter abolitum appetitum & grauem *capitis dolorem ſoporoſum*, omnia mitiora ſunt. Creſcunt, cum corporis laſſitudine aucta, *linguae fiſſurae* nunc *dolentes.* Pulſus pleni & duriuſculi modica frequentia a meridie parum augetur. *Media adſcendit* in vrina craſſa, rubra & pellucente tenuis *nubecula.* Reiterati remedii vſus continuatur.

Graues tempore matutino praecordiorum oppreſſiones interdiu parum remittunt; ſed cum laſſitudine adeo intenditur capitis dolor, vt ipſe aeger de *pulſationis arteriarum capitis ſenſu* conqueratur & per interualla *ſoporoſus* iaceat. Linguae limbus humidus muco albo, craſſo & nitente; dorſum ſiccum ſqualore ſubfuſco & flauo tegitur, cum fiſſurarum dolentium augmento. *Pulſus* plenus, durus, *rarus* & impeditus, ſub veſperam paullo frequentior fit. Vrina flaua, leuiter rubella, pellucida, pinguis & craſſa tenuem nubeculam fouet, ad medium vitri adſcendentem. Circa meridiem porrigebantur reſinae jalappae grana vij. in emulſione, quibus apprime expurgata fuit aluus. Veſperi ſellae

perfo-

perforatae immoratus aeger animo linquebatur, in lectum vero repoſitus breui reſipuit.

Anxietates circa praecordia mitiores comitatur ſedatior capitis dolor: atque ſoporum expers aeger de magna, pedum praecipue, laſſitudine querelas fundit. Lingua vt heri ſqualida eſt: pulſus plenus, duriuſculus & rarus, veſperi parum frequentior fit ſimulque liberior: vrina flaua, pinguis & parum turbida ſedimento caret. Adminiſtrati omni bihorio pulueris, ex ipecacuanhae gr. x. cum tartari ſtibiati gr. j. ſtimulo, tria praebia *vomitu* ter excitato exturbarunt multam vim *materiae mucoſae*, *fuſcae* & *bilioſae*. De nocte frequens & copioſa ſequebatur diarrhoea cum *excrementis foetidis*.

Pergit alui profluuium atque cum magno capitis dolore & ſiti intenſa redeunt *ſopores* modici. Ideo ſingulis horis per cupulas propinata eſt emulſio ex amygdalarum dulcium drachmis ſex, aquae ſcordii libra vna & *camphorae* gr. xxv, cum ſacchari vncia edulcorata. Inter inſomnia de bello & militibus per totam noctem fere ſomnum cepit.

Sopitam diarrhoeam nunc excipit *ſudor vniuerſalis*. Capitis licet dolor paullo emendetur & minuatur praecordiorum tenſio,

P vires

vires tamen non creſcunt. Lingua ſqualida, lata & fuſca eſt, ad apicem & limbum alba, ſulcis mirifice inciſa: pulſus plenus, tardus & duriusculus: vrina pellucida & modice flaua. Reiteratur emulſio. Noctem moderatiorem, inſomniis tamen turbatam, ſequitur *ſudor* cum

aurium ſuſurru, *pedum grauidate* & virium defectu. Praeter modeſtam ſitim, neque calor neque frigus notabile adeſt. Bene reſpondet alvus: lingua & pulſus heſternis ſimiles ſunt: *vrina* flaua & modice turbida deiicit *ſedimentum album, furfuraceum.* Per dimidias cupulas ſingulis horis dedimus in aquae ceraſorum vnciis octo ſoluti extracti corticis Peruviani duas drachmas, cum ſyrupi berberum ſesquiuncia. Nox praeter inſomnia, ſatis placida fuit.

Mane, ſine capitis dolore iuncto, *ſurditas* quaedam notatur, cum pedum grauitate. Non amplius ſitit aeger, neque ſudat, atque per interualla extra lectum nunc verſari tentat. Aluus naturalis eſt: pulſus tardus, rarus & pleniusculus; lingua vt hactenus; *vrina* modice flaua cum *ſedimento albo & furfuraceo.* Nox bona ſine inſomniis decurrit.

Sumta mane emulſio cum ſex granis reſi-

reſinae ialappae decies aluum duxit. Simul cum ſurditate ceſſarunt capitis pondus & grauitas pedum, ita vt hilaris aeger iam extra lectum verſari poſſit. Lingua humida, modice alba, minori in gradu ſqualida eſt, cum macula fuſca permanente; *vrina* fere aquae & pellucida, cum parco *ſedimento albo* & *furfuraceo;* pulſus plenus & mollis. Noctu ſomnum profundum cepit aeger.

Extra lectum obambulat. Lingua & pulſus ſe habent vt heri. *Vrina* flaua eſt cum *ſedimento albo.* Singulis horis per dimidias cupulas aeger nunc capere potionem ex aquae menthae ſ. v. vnciis octo, tartari vitriolati vncia dimidia, extracti centaurii minoris drachmis duabus & ſyrupi corticum aurantiorum vncia.

Circa veſperam *notabile frigus* poſt ſe traxit noctem admodum inquietam. Lingua alba, humida cum macula fuſca eſt; vrina aquoſa cum nubecula.

Nouum ſub veſperam *frigus* capitis dolore excipitur. Alvus clauſa eſt, nox ſequens inquieta.

Cum *ingenti capitis dolore* & pedum laſſitudine, poſt intercalarem febris requiem, *lectum* ſub meridiem *rurſus petiit.* Lingua

 humi-

humida, alba, fuſca, craſſo muco obducitur: vrina flaua & cruda eſt: pulſus plenus, rarus & celer. Succeſſiue propinata potio ex ſolutis in aquae feruentis libra vna ſalis ſedlicenſis duabus vnciis & mannae vncia vna cum aequali portione pulpae tamarindorum, effectum plane denegauit, ita vt alvus, vrgente circa veſperam ingente calore, vel applicati clysmatis (ex cremore auenaceo cum oleo lini & ſale communi) ſtimulo ſemel tantum ducta fuerit.

Ceſſauit pedum grauitas & mitior ſupereſt capitis dolor. Lingae albae & humidae macula fuſca conſtans manet, cum pulſu pleniuſculo & celeri, atque vrina flaua, cruda & tota pellucida. Emulſio jalappina (d. 15.) ſexies aluum ciuit. Nox ſequens bona.

Cum appetentia ciborum redeunt vires & aeger conualeſcit.

1) Eſt varietas quaedam rarior febris mucoſae benignae, quae obſcuro modo typum vtcumque quartanarium ſequitur.

2) Quaedam febris primariae ſimilitudo eſt cum prodromo febris mucoſae benignae. Initio a leuiori acceſſione facto,

cto, die 6to grauior febris accendebatur, cuius decrementum d. 7mo declinante incipit atque ad finem alterius septenarii protrahitur; quo termino (d. 13) criſis quaedam in neruos, per aurium ſuſurrum & ſurditatem contigit, quae mitiori febris relapſu per acceſſiones nocturnas in abdomen transfertur, arte, propinato nimirum laxante, expedienda. Elapſo d. 18. oborta noua recidiua leuior ſanans, vtcumque quotidiana, morbi reliquias vlterius expulit.

3) Ordo remediorum morbi ſtadiis ita accommodatus eſt, vt, praemiſſis generalioribus, camphorata verſus tempus criticum, cortex ſub criſin inceptam, euacuantia ad expediendam criſin abdominalem, atque ſub finem criſeos ad reſtaurandas vires ſal medium cum extracto amaro fuerint adhibita.

4) A viribus inſtauratis demum, poſt praegreſſam quamdam naturae quietem & ſpeciem intermiſſionis (cf. p. 101.), nouum frigus febris ſanantis acceſſit.

5) Soporoſum ex hepatis labe peculiari conſenſuale ſymptoma, eiusdemque latentis index eſt.

6) Numquam ex pulſu ſimpliciter pleno petenda eſt ad V. S*em* indicatio, niſi ſimul iunctae ſint quaedam eiusdem frequentia & fortitudo, indolis ſanguinis gelatinoſae indices. Noxiae proinde, vti generatim in omni morbo neruoſo, ita praecipue in febribus ſoporoſis, ſunt V. S*es* largae aut repetitae: parca enim, ſi qua adſunt, inflammati ſanguinis veſtigia breui vtplurimum temporis ſpatio penitus euaneſcunt *).

7) Conducunt praecipue in ſoporoſis multa euacuantia abdominalia, quae ſemper indicantur a ſqualida ſine humiditate lingua, ſiti, capitis vehementi dolore cum inſidioſa arteriarum pulſatione & a pulſu ſoporoſo.

8) Aegrorum ſortis habenda ratio atque pro pauperibus medicaminum faciendus eſt ſelectus, minori pretio parabilis.

*) de mutato in morbis ſanguine cf. Cl. Stormii diſſ. de rubro ſanguinis calore. Hafn. 1762. §. LIII. p. 46. ſq.

HIS-

HISTORIA XIV.

Febris mucoſa ſoporoſa lethalis.

Vir 37. *annos natus*, ante morbum haemorrhoidibus mucoſis laborauerat.

d. 28. *Mart.* Veſperi *horror* & *frigus* cum inſequente calore magno & capitis dolore impetit; quare ex ſuo ipſius arbitrio aliquot piperis grana cum ſpiritus frumenti hauſtulo ſumit.

Multum conqueritur de *doloribus artuum*, *ſpasmis lumborum*, per interualla exacerbatis & in dorſum adſcendentibus, quibus iunguntur ſapor amarus, *magna ſitis* cum *intenſo capitis dolore* & appetitu per omnem morbum proſtrato. Nulli cum aluo clauſa in imo ventre percipiuntur dolores. Pulſus pleniuſculus, durus, frequens & inaequalis eſt: lingua ſicca, lata, aſpera, ſqualida, cum macula ampla & fuſca ad radicem. Propinatum emeticum *vomitu* copioſo multam vim *materiae mucoſae*, cum admiſta pauca bile, exturbauit; ſemel quoque aluum duxit. Prae doloribus artuum vero plane inſomnem aeger transegit noctem.

Pergunt cum *linguae fuſcae ſiccitate* artuum dolores & intenſa ſitis; atque inter

mitiores capitis dolores pulſus plenus eſt, iuncta duritie & frequentia. Sequitur *vertigo*, ita vt ſitum corporis erectum aeger ferre nequeat. Poſt alui, a medicamento laxante, frequentes deiectiones, dolores artuum mitiores fiunt, & praeter vrgentem perpetuo ſitim, verſus veſperam multum leuatur morbus. Adminiſtrata veſperi V. S*one* elicitur ſanguis cum cinereis maculis in ſuperficie; parco ſero tectae placentae pars inferior atra eſt, immixtis maſſulis coccineis. Somnus de nocte, ſimulatque oculos claudit aeger, *phantasmatibus* multum turbatur.

Sopitis artuum doloribus mitiores lumborum ſpasmi vrgent, atque cum *cephalalgia vertiginoſa* & ſiti ingente ſubinde iunguntur *leues in imo ventre dolores*. Augetur linguae humidae macula, ſenſim magis fuſca. *Pulſus* hora 9 matutina celer, durus, non frequens; poſt horae ſpatium fit plenus, *rarus* & impeditus, ſine celeritate iuncta. Abhinc multum remiſit capitis dolor vertiginoſus. Vrina craſſa, turbida, opaca, non praecipitatur. Dein *pulſum* multum frequentem, *crepitantem*, duriuſculum comitantur *ſudor* atque *deliria*, ſub quibus aeger optime ſe valere & in cella ſudatoria ſedere, ait. Noctu multum dormiuit, ſomno tamen non

refi-

reficiente & continuis phantaſmatibus turbato.

Mane inter deliria placidiora paullo quietior de magna laſſitudine conqueritur. *Linguae*, ad apicem & margines ruberrimae, ſuperficies fuſca, *nigra & ſicca:* pulſus impeditus, modice plenus & durus eſt; vrina cruda, obſcure flaua, cum tenui nubecula ad fundum; altero demum die turbida facta, cum circulo ad marginem, parcum ſedimentum album, furfuraceum exhibet. Contingit ſub veſperam *haemorrhagia narium* ſatis larga, aliquot vnciarum ſaltem, & leuiori capitis dolori vertiginoſo ſeſe adſociat grauis *aurium ſuſurrus.* Pulſus frequens, duriuſculus, liberior; nox tamen multum inquieta eſt & inſomnis.

Placatior quidem mane aeger leuiori capitis dolore affligitur; circa meridiem vero cum aurium ſuſurru per interualla aucto, & cephalalgia rurſus ingraueſcit. Pulſus *mane* plenus, impeditus, *rarus*; ſub veſperam plenus, durus & *modice frequens:* lingua humida, ſqualida eſt, cum perſiſtente macula nigra: vrina cruda, leuiter rubella; pellucida, cum tenui nubecula ad fundum: altero die turbida. Sequitur nox inquieta &

ſub diluculo parcus ſomnus, phantasmatibus interruptus.

Continuatur capitis dolor cum maiori ſenſim virium dispendio. Pulſus modice frequens, durus, pleniusculus, inaequalis intermittit; vrina, heſternae ſimilis, poſtridie non turbatur; & humidae linguae ſuperficies fuſca adaugetur. *Vomitu* a medicamine bis edito reiecit *materiam fuſcam* viridem; atque oborto modico alui profluuio reddidit excrementa mollia, fuſca. Circa meridiem prorupit *copioſus circa ſuperiora ſudor*, & ſub veſperam adeo increuit virium fractura, vt excrementa aegro conſcio in lectum effluxerint, dum prae debilitate ſurgere ipſi non licuerit. Pulſus pleniusculus, & inaequalis, ſaepius intermittit. Nox praecedenti ſimilis eſt.

Per ſummam virium fracturam *immobilis* 'atque ſupinus *iacet* aeger; *caligant oculi*, excrementa in lectum demittuntur. In vrina cruda, flaua, pellucida, cum tenui nubecula ſparſa, ſero demum praecipitatur parcum ſedimentum furfuraceum, nec tamen vrina inde turbatur. Lingua tremula, humida & fuſca, difficulter exſeritur. Pulſus modice plenus (ſoporoſus), non frequens, impeditus; veſperi ſine frequentia liberior, parum

parum eleuatur. Parum ſub veſperam componuntur mala, & ſine excrementorum profluuio frequentes obſeruantur borborygmi. Nox inquieta decurrit.

Mane cum reſpiratione ſtertente & inaequali, in *ſopore decumbentis artus ſuperiores* leuiter *conuelluntur*; ſponte tamen euigilat. Creſcit pulſus impediti, inaequalis & duri debilitas. Linguae ſiccae, fuſcae, globoſae apex vltra dentes exſeri nequit; cum difficultate ducitur ſpiritus, oculi immoti ac torui ſunt, facieſque tumidula. Redditur *vrina* tenuior, *cruda*, flaua, cum nubeculâ diſperſâ, poſtridie haud turbata. A meridie pulſus plenior & liberior eſt; veſperi hora 9 paruus, impeditus, & inter *ſubſultus tendinum* intermittens; poſt horulae lapſum autem rurſus componitur. Borborygmi potiſſimum ab adſumtis potulentis reuocantur; excrementa tamen haud amplius in lectum effluunt. Nox paullo placidior eſt, aegro ſubinde ſoporibus ſepulto, qui nunc ex ſitu ſupino in vtrumque latus reuoluitur.

Sine notabili ſopore mane bene dormit & citra difficultatem expergiſcitur, ſui tamen vix conſcius. *Facies* ſub ſomno leuiter madet, *ſubtumida*, praecipue in oculorum

rum ambitu: pulſus plenior, liberior, frequentior & mollior eſt, ac heri; & linguam fuſcam, humidam, ad margines rubram, in apice fiſſam, ſine difficultate exſerere poteſt aeger; turbidamque ſtatim fecit vrinam, veluti puluerulentam, obſcure flauam, tantillum rubellam, vlterius non turbatam. Tota fere die dormiuit & inter leues *artuum* ſuperiorum ſub ſomno *conuulſiones*, ſpiritus lentus, minus ſtertens eſt, ac heri: noctu vero *in perpetuo ſopore* aeger decubuit.

Toto die ſoporibus oppreſſus, per interualla expergefactus, ſui vix conſcius obſtupeſcit, protinusque in ſoporem relabitur. *Conuelluntur* interdum artus, maxime *maxilla inferior*, iunctis ſimul reſpiratione frequente, profunda, laborioſa, & tendinum crebriori ſubſultu. Lingua tremula, fuſca, ſicca, in limbo rubra, exſerenda pone dentes ſubſiſtit. Pulſus plenus, durus & impeditus eſt: vrina obſcure flaua, parum turbida, cum *nubecula ad ſuperficiem haerente.*

Non temere euigilat aeger grauiori ſopore ſepultus; excitari tamen poteſt: obmurmurat interdum, veluti loquuturus. Saepe conuelluntur *artus*, etiam *inferiores*, & quum linguam difficilem & grauem exſerere aut loqui tentat, maxilla quoque inferior. Ob

lae-

laeſam deglutitionem parum quadam vice potulentorum delabitur, cum ſubſequente *ſingultu.* Praeter excrementa obſcure flaua, mollia, inde a nocte praecedente, & nunc etiam interdiu, in lectum effluit vrina. Lingua non mutata, pulſus pleniuſculus, tenuior, ac heri, durus & impeditus tangitur.

Poſt mediam noctem reſpiratio frequentior, breuis & magis ſtertoroſa fuit, adeo, vt motus in larynge mucus exaudiri potuerit. Mane vſu linguae & deglutitione abolitis, *potulenta ore* rurſus *effluunt.* Circa meridiem *ſpiritum ſublimem*, non niſi ſcapulis eleuatis expediendum, ducit, ore ſimul hiante, oculisque toruis, apertis & immobilibus. Supinus iacet, *genubus eleuatis* & veſtimentis disiectis. Extenuatus ac debilis pulſus interdum per longa interualla ſilet; crebro ſubſiliunt tendines; frequentius & maiori cum vehementia conuelluntur artus; ſponte effluit vrina, cuius pauca excepta flaua eſt, turbida, ſine nubecula, nec amplius turbata. Hora demum a meridie quarta vinculis ſolutus aeger obiit.

1) Ad illos morbos pertinet hic caſus, qui ex ſua ipſorum natura inſanabiles ſunt & ob peſſimum latens vitium ſtatim ab

initio

initio variis ex neruoſorum genere ſignis ſiniſtrum euentum minantur.

2) Extremitatum praecipue ſub initium morbi dolores grauiores; ſiue diuturnitatem tantum, ſiue celeriorem perniciem praeſagiunt; peſſimum ſemper ſignum praebent: certiſſime enim praecipitatam criſeos ſpeciem niſumque humorum in reſolutionem denotant. Interdum ipſum morbi incendium iam e longiquo praecedunt; quorſum inprimis pertinet vulnerum olim inflictorum recrudeſcens dolor periodicus, per interualla typica ingraueſcens rurſusque intermittens, morbi imminentis maligni, vtplurimum lethalis, praecurſor.

3) Quod ad praecedentem hiſtoriam (n. 5.) de ſoporibus dictum eſt, id perinde valet de vertigine, cognato videlicet ſoporibus malo ipſisque ſubinde iuncto.

4) Dolores lumborum, ſopores, vertigo, borborygmi cum doloribus in imo ventre, pulſuum rhythmi toties mutati, facies tumida &c. ſatis indicant, & hanc ſoporoſam peſſimum ex intermittentium radice eſſe ſurculum.

5) Datur etiam ex eodem genere morbus inter-

intermittens vertiginoſus, chronicae magis indolis; qui modo vno paroxysmo magno, plus minus protracto, abſoluitur, ſtatoque anni tempore denuo reuertitur; modo per typum quemdam, febris intermittentis ſimillimum, per plures acceſſiones interuallis alternis lucidis redit, atque vel cum, vel ſine cephalalgia aut ſoporibus iunctis decurrit. Vterque morbus vtplurimum ex male ſanata, vel intempeſtiuo corticis vſu olim ſuppreſſa febre intermittente, & oborto abhinc hepatis peculiari vitio originem trahit: &, ſi quando per emendata quocumque modo vitia illa contigerit, accenſa rurſus febre ex intermittentium claſſe, ſoluitur.

6) Malo ſemper omine, niſi quidem alia criſi ſuccenturiata vitium ſubigatur, incepta in febribus malignis molimina critica rurſus euaneſcunt, neque adeo impune ſuſpenditur aurium ille ſuſurrus metaſtaticus. Intempeſtiue enim ſufflaminatae criſes vel niſum quemdam in reſolutionem, vel vires ad perficiendum naturae opus laudabile non ſuffecturas indicant: quare mala coctione in perniciem tendit morbus.

7) Pari

7) Pari modo in febribus malignis, ex intermittentium radice degeneribus, requie illa (hiſt. I. p. 101.) naturae non conceſſa, nullum ſanantis febris frigus ſequitur, atque omnia potius in detrimentum ruunt.

8) Oculorum caligo & corporis oppreſſi rigor ſummam vitium & humorum reſolutionem atque gangraenam ante portas indicant, ſaporibus vlterius proſerpentem.

9) Peſſimum inde a d. 11. ſignorum exaggeratorum ſatellitium ineluctabile ſemper fatum portendunt.

FEBRE

FEBRE MVCOSA ACVTA DEFVNCTORVM.

SECTIO I.

d. 10. *Ian.* 1761. *Vir* 28. *annos natus*.

Abdomen.

1) H*abitus corporis* externus ſucculentus & ſanus eſt.

2) Notabilis *ſeri in cauo abdominis* copia.

3) Diues pinguedine eſt *omentum* cum meſenterio & appendicibus coli.

4) *Glandulae meſaraicae* copioſae, magnae, duriusculae ſunt; aliae pallide fuſcae, aliae rubellae.

5) Modica *hepatis* duriusculi moles eſt. Qua parte aeri libero expoſitum fuit hepar, rubellum: in parte tecta pallide fuſcum eſt; circa veſiculam felleam pollicis latitudine obſcure viride. Omnis eius ſuperficies

perficies, vt & ipſum parenchyma inciſum, elegantiſſime *acinoſa* * ſunt.

6) Externa *veſiculae felleae* ſuperficies intenſe viridis, interna obſcura eſt. Totam veſiculam replet *bilis* craſſa, *mucoſa*, ex obſcure viridi fuſca, tantillum heterogenea.

7) *Lien magnus*, coeruleo fuſcus, in margine inſculptas habet inciſuras.

8) *Pancreas* durum.

9) Externa *ventriculi* ſuperficies inflammata eſt, rubet ipſa ſubſtantia, conſpicuis tantum vaſis maioribus. Continet ventriculus modicam *materiae mucoſae*, tenuis, fuſcae, heterogeneae, copiam. Craſſa eſt ipſa ventriculi ſubſtantia; tunica muſculoſa rubra, craſſa; neruea tenax, alba; *villoſa* admodum *craſſa*, variegata, prope curuaturam minorem in ſuperficie poſteriore pallide fuſca.

10) Diſſeminatae in eadem ſede conſpiciuntur copioſae puſtulae albae, prima ſpecie aphthoſae: reuera tamen ſunt *folliculi mucoſi* latiores, *complanati* ſiue compreſſi; qui fere

* vid. icon. ſubſtantiae acinoſae hepatis. Tab. III. fig. I.

fere ſinguli exigua apertura media conſpicua in cauum ventriculi hiant. Ad eumdem locum paſſim exigua *fruſta membranacea* aſpera, impure alba, friabilia, ſuperficiei internae adhaerent, quae affuſa aqua facile abſterguntur. (Similes laminae abraſae reperiri ſolent, ad partes corporis aphthis obſitas.) Nihil aliud eſſe videntur, quam epidermidis tenerrimae, villoſam obueſtientis, laminae abraſae: quare in hac ſede, etiam minus craſſa villoſa, villi minus conſpicui atque folliculi diſtinctiores, veluti nudati, deprehenduntur. Paullo inferiori loco, intenſe rubente, parciores ſunt folliculi. Fundus ventriculi in omni curuatura maiori plurimis rugis eleuatis, retis inſtar diſpoſitis tegitur. Craſſior ibidem villoſa, non abraſa, magis tumet. Copioſi etiam in omni fere ſuperficie interna ventriculi diſſeminati *folliculi mucoſi*, prioribus *minus compreſſi*, materia cinerea & ſpiſſa pleni, obſeruantur; ita tamen, vt eorum latitudo craſſitiem ſuperet. Globoſi, parum complanati, lenticulares, non prominuli, rotundo margine circumſcribuntur, & in omnibus fere comparet foueola in medio haemiſphaerio, cauum ventriculi reſpiciente; in quibusdam tamen parum

eccentrica eſt foveola. Quoad figuram conueniunt cum folliculis mucoſis linguae, niſi quod illis minores ſint atque minori etiam apertura praediti. Singulorum folliculorum hemiſphaerium externum inſculptae in tunicam nerueam foveolae reſpondet; internum parum eminet in cauum ventriculi. Moles diuerſa eſt. Alii vltra lineam lati, multi lineam aequant, plurimi infra lineam ſubſiſtunt. Confertim praecipue locantur in vicinia pylori minus rugoſa; adeo quidem ſtipati, vt alter alterum contingat, quin ſubinde plures quaſi confluant. Rariores ſunt in reliquo ventriculo; multi etiam, minores, in dorſo rugarum; vnus vel alter ipſum pylori marginem occupat; nulli in foueis mediis notantur *).

11) Magna quoque rugarum copia *in duodeno* occurrit. Vtcumque parallelo ſitu diſpoſitae rugae ſeu valvulae duodenales, a pyloro auerſae, remotiorem duodeni partem reſpiciunt. Ad partem eius, pyloro proximam & inter illius rugas, tam in dorſo, quam in mediis interuallis, *plurimi folliculi* inflati eminent, quorum multi praecipue pyloro propiores, in longitudinem quamdam exporriguntur; alii ſim-

*) vid. Tab. I. fig. 1. 2. 3.

ſimpliciter protuberant. Admodum diſtincta ſunt orificia; plurima puncto nigro notata. Ita quidem diriguntur folliculi elongati, vt auerſus a pyloro apex, cum inſculpta media apertura, reſpiciat duodenum. Inſtar papillarum prominentium ex tunica villoſa dependent, atque praecipue valvularum dependentium marginem ſequuntur. *)

Pars ſuperficiei internae canalis alimentaris veſiculae felleae obuerſa, cis & vltra pylorum, colore fuſco viridi imbuta eſt; ibidemque tunica muſculoſa multum inflata, folliculis multum prominentibus obſita; reliqua pars vicina pallide fuſca, rubra eſt.

12) *Inteſtina e cinereo coerulei coloris* ſunt: licet autem vaſa turgeant, inteſtina tamen quoad ſuperficiem externam tantum obſcuro modo inflammata obſeruantur.

13) In *tenuibus* paſſim aliquot *vermes* latitant. Pars *ilei*, 6. poll. longa, in partem vicinam reuoluta eſt, ita vt in theca ambiente recondita lateat, prope quem *inteſtini volvulum* hoſpitatur *vermium nidus*, ſaltem 4-5 lumbricorum.

 Vici-

*) vid. Tab. I. fig. 1, & 3.

Vicinam cyſtidi felleae duodeni partem diſtinguit ampla macula ex viridi fuſca.

14) Inteſtinorum *tenuium villoſa* cinereo rubella, minus flocculenta, ac in ſtatu naturali eſſe ſolet.

15-16) *Craſſorum tunica interna* craſſa, tumens, e fuſco rubra, aſpera, rugoſa, *eſcharis tecta*, per omnem fere canalem propemodum comparata eſt, ac in dyſentericis eſſe conſueuit; niſi quod integra continua & nondum fiſſa ſit. *)

Thorax.

18) In vtroque *thoracis cauo* aliquid *ſeri* repertum eſt. Pleura diaphragmatis pictis vaſculis abundat.

19) *Pulmonum* ſuperficies anterior vtrimque *laciniis* tenuibus laxe, poſterior arctius quidem, ſed ob *gelatinam*, in telam celluloſam nectentem effuſam, minus pertinaciter *cum pleura cohaeret.*

20) Vtriusque pulmonis pars anterior collapſa, ſpongioſa, laxa, leuis, pallide liuida ſeu cinerea eſt; poſterior & maior infla-

*) vid. Tab. III. fig. 2. cf. ſupra SECT. I. pag. 7. it. Sect. cadav. III. n° . 16.

inflata, turgida, inflammata, obſcure liuida ſiue ex coeruleo rubra, paſſim ſcirrhoſa minimis ad ſuperficiem vaſculis pictis. Pars ſuperficiei concauae & marginis inferioris pulmonis dextri aſpera, veluti *ſabulo* conſperſa eſt.

21) Ad mediam, poſteriorem & inferiorem *pulmonis dextri* partem parenchymati paſſim inhaeret congeſta materia cruda, totidem *ſcirrhos* variae molis, cinereos, albos, duros, referens; ex quorum diſſecta parte *pus ſemicoctum* exprimi poteſt.

22) *Pulmonis ſiniſtri* in genere eadem ratio eſt ac dextri; minores tamen & rariores ſunt iſtae *farturae*.

23) *Vaſa pulmonalia* vtriusque generis cruore modice turgent.

24) *Glandulas bronchiales* magnas, nigras, multum induratas, notauimus.

25) Ad bifurcationem tracheae *calculus bronchialis* 6-7 lin. longus, 4 lin. craſſus; alius eiusdem molis in prioris vicinia; porro alius maior irregularis pone vaſa pulmonalia locatur. Singuli ſua quisque cyſtide, pertinaciter adhaerente, ſunt incluſi: ſubſtantia aſpera, tophacea ex albo leuiter cinerea, fragilis & friabilis eſt. Ali-

quot etiam minores *calculi* paſſim *in ipſa ſubſtantia pulmonis* ſiniſtri & glandula vna vel altera bronchiali haerent.

26) *In trachea* reſecta *& bronchiis vis muci* ſpumantis, tenacis, ex albo cinerei, collecta reperitur.

27) *Pericardium liquoris* rubelli, leuiter ſanguinolenti cochlear vnum vel alterum recondit.

28) In *cordis*, ceteroquin ſani, vtroque ventriculo *polypus*, ex cruore & ſubſtantia alba tenaci conflatus, haeret, in ſuam arteriam vtrimque exporrectus.

* * *

1) Vel ex ſolo cadauere diuerſis & ſuis quaelibet morbi mucoſi ſpecies phaenomenis dignoſcitur.

2) In vniuerſum ſpeciem acutam a lenta diſtinguit corpus adhuc ſucculentum, non emaciatum; acceſſoriam a morbo mucoſo ſimplici, labes antiqua viſceris cuiusdam vel qualecumque affectionis primariae veſtigium.

3) In *ſpecie ſimpliciter acuta*, plus minus knoblioſa ſequentia notantur. Hepatis non reſoluti, neque indurati aut notabiliter inflati

flati ſubſtantia diſtincte acinoſa eſt; neque color a naturali multum diſcrepat. Lien mole, colore & parenchymatis habitu parum differt a ſano; niſi quod modice inflatus atque paullo obſcurioris coloris ſit. Semper quidem in canali alimentari tam externae, quam internae inflammationis notae obſeruantur; minori tamen in gradu, quam in ſpecie inflammatoria; maiori, quam in lenta. Adſunt paſſim ventriculi aut reliqui canalis ſtricturae ſpaſticae; interdum tenuium volvuli. Stricta ſedes vel penitus ex ſanguis, vel reliquis ſaltem pallidior eſt. Inteſtina collapſa colorem peculiarem coeruleſcentem referunt, ob ſingularem villoſae inflammationem, per exteriores tunicas pallidas transparentem; qua ſede vero ab aere incarcerato expanſa fuerunt inteſtina, pallida ſunt, ſubpellucida, multum extenuata, haud inflammata, neque coeruleo colore imbuta. Ventriculus multo muco tenaci & adhaerente ſcatet: duodenum cum reliquo tenuium canali, muco obducta, materiam bilioſam recondunt; craſſa pulpam excrementitiam. Vtplurimum adeſt notabilis in inteſtinis tenuibus lumbricorum, tam ſingularium, quam collectorum, copia: minus tamen & rarius ſibi inuicem implicantur in artificioſe

ficioſe quaſi contexta glomera, ac in ſpecie lenta; ceteroquin magni, rubelli, rigidi, recentes, bene nutriti ac elaſtici ſunt. Subinde quoque in craſſis, coeco praeſertim, occurrunt trichurides ſucculentae & rigidae. Folliculi mucoſi ventriculi, duodeni, quin interdum ieiuni & ilei, muco turgentes in colliculos eminent. Ad valuulam Bauhini, in coeco & appendice vermiformi ſaepius notatur larga folliculorum ſui generis, confertim in amplas areas collectorum, numquam tamen in colliculos eleuatorum, ſeges; ita vt totidem punctis obſcurioribus, ſuo nempe quisque orificio, diſtinguantur. Vaſa ſanguifera maiora, iliaca, meſaraica, vena caua &c. cruore modice turgent.

Rara tamen auis eſt ſpecies acuta purior ex cadauere diſtincta; vtplurimum enim, licet aliquamdiu ſimplex fuerit mucoſa, ſub finem morbi ſeſe adſociant reliquarum ſpecierum, putridae & inflammatoriae, phaenomena.

4) *Speciem acutam malignam putridam* diſtinguunt citatior corporis, praecipue abdominis, niſus in putredinem; viſcera reſoluta; ſubſtantia hepatis atque lienis friabilis & facile dilaceranda; facilisque mem-

membranarum a viſcerum parenchymate ſeceſſus cum turpi illorum colore. Ipſum parenchyma fouet ſoluti aeris bullulas. Vaſa maiora, praeter parcum cruorem reſolutum, ſpumantem, mediique aeris ſoluti columnas, fere vacua ſunt. Olei inſtar diffluit pinguedo innatatque ſoluto cruori. Deliqueſcit mucus, delentur cum hepatis acinis folliculi mucoſi eorundemque orificia, ita vt vix quaedam veſtigia fungoſa in tunica villoſa ſuperſint. Curuaturam minorem ventriculi apicemque coecum foedat gangraena; villoſam vero adſperſae tetri & obſcurioris coloris maculae gangraenoſae & vera ecchymomata. Simili vitio paſſim deprauata inteſtina, tenuia, recondunt putrilaginem tenuem, foetidiſſimam cum admiſtis, ſed rarioribus, lumbricis paruis, emaciatis, flaccidis reſolutis; craſſa inter liquamen putridum contritos & deſtructos lumbricos, parcasque trichurides flaccidas.

5) *Species inflammatoria* dignoſcitur muſculis floridioribus; interdum rubro exanthematum in ſuperficie corporis ſtigmate adhuc ſuperſtite, atque in vniuerſum tum canalis alimentaris, tum aliorum viſcerum maiori inflammatione. Turget vaſorum ſyſtema cruoris congelati copia & conge-

ſta

ſta ſimul in cordis cauis aliisque recepta-culis maioribus, in polypi ſpeciem, ma-teria ſanguinis gelatinoſa. Viſcera, a con-geſto ſanguine inflata, lien praecipue, mo-lem naturalem multum excedunt, atque qua parte liberiori aeri copia eſt, ab eius contactu, ſicut & ipſe cruor, floridum vel coccineum colorem contrahunt. Ca-nalem alimentarem conſpurcant intenſa inflammatio & in craſſorum tractu gangrae-na cita, quin verus ſphacelus. Villoſa ventriculi & inteſtinorum tenuium, prae-ter folliculorum veſtigia, diſtinguitur ad-ſperſis maculis & punctis gangraenoſis, in aere libero ad ſuauiter rubrum colorem efflorеſcentibus; craſſorum, excrementa indurata, ſicca, globuloſa continentium, ſuperficies interna paſſim areis eſcharoti-cis tegitur.

6) De diagnoſi ſpeciei lentae & acceſſoriae ex cadauere infra ſuo quoque loco dicetur.

7) Vario modo diuerſarum ſpecierum phae-nomena interdum ita combinantur in ca-dauere, vt mediam quamdam ſpeciem compoſitam referant, & nonniſi ex huius vel illius phaenomeni gradu diiudicandum ſit, ad quamnam ſpeciem proxime acce-dat. Quid? quod quaedam ſubinde mor-

bi

bi mucoſi ad partes eſt relatio; ita vt *in* diuerſis partibus diuerſarum ſpecierum phaenomena obſeruentur.

8) Tunicam muſcularem totius canalis alimentaris in omni morbi mucoſi ſpecie tenuem, ſubgelatinoſam, arroſam veluti tecta quadam acrimonia, &, praeter loca inflammata, pallidam atque adeo ſolutam ſemper deprehendimus, vt per omnem huius epidemiae decurſum ne ſemel quidem illam in theatro anatomico rite oſtendi copia fuerit.

9) Peculiaris tunicae villoſae in hoc morbo inflammatio potius ab irritatione quadam, quam ab impellente ſanguine oriri videtur. In omni enim huius morbi ſpecie ſemper villoſae tumentis & reſolutae vaſcula minorum generum ſanguinis plena ſunt; licet vaſa meſaraica vacua reperiantur. Illam vero tunicae villoſae irritationem & reſolutionem magis ab acrimonia quadam rodente, dyſentericae analoga, & bilis corruptae ſtimulo, quam a vermibus, repetendam eſſe, vtriusque morbi cognatio & aequabilis fere per omnem inteſtinorum tractum inflammationis ratio, arguunt. Si qua autem a vermibus irritatio ſimul accedit, externa quoque inflamma-

matio ea in ſede ſeſe adſociat: quare circa lumbricorum nidos non ſolum villoſa, ſed tota inteſtini ſubſtantia inflammata tumet, vaſis maioribus ſimul repletis.

10) Magnam quidem morbo mucoſo cognationem eſſe cum morbis neruoſis, ſymptomatum in morbi decurſu atque phaenomenorum in cadauere analogia luculenter docent *): qualia ſunt ſtricta per longum tractum inteſtina, ſtricturae annulares, voluuli; ventriculi in anguſtum farcimen contractio & hinc oriundae rugae internae habitusque villoſae fungoſus. Suam tamen ſymbolam ad excitandos augendosque ſpasmos & inaequales inteſtinorum contractiones etiam confert illa, ab acrimonia ſuperficiem internam rodente, irritatio: nec non verminibus hoc nomine aliqua vis eſſe poteſt; licet ipſi ſemper in parte quadam laxiori, numquam in ſede ſtricta, reperiantur. Laxatis demum ſpasmis, pars debilitata vel aere recepto vltra modum expanſa extenuatur; vel admodum procliuis eſt ad ſuſcipiendam inflammationem fouendosque vermes.

SECTIO

*) cf. Ill. Roedereri progr. de phthiſi neruoſa.

SECTIO II.

d. 3. *Febr. Miles.*

Abdomen.

) Corpus adhuc bene nutritum eſt.

) Multum *ſeri* effuſi *in abdominis cauo.*

) *Hepar acinoſum* ſe habet vt in *Sect. I.*

) *Veſicula fellea* flaua, bile turget, & partes vicinas flauedine conſpurcauit.

) *Lien* vti in praec. Sect.

10) *Ventriculus* vacuus ad curuaturam minorem leuiter inflammatus. Tunica villoſa craſſa, rugoſa, *fungoſis* veluti *papillis* obſita, folliculis mucoſis conſpicuis caret. Omnis ventriculi ſuperficies interna, praeter partem inflammatam, ex cinereo leuiter coerulea eſt; rugarum dorſum rubrum, inflammatum.

2) *Inteſtina tenuia* inflammata, materia biliosa, flaua, pultacea, modice repleta ſunt: *craſſorum* tractus vacuus, conſtrictus, non inflammatus quoad vaſa maiora.

Thorax.

8) *Thoracis cauum* vtrimque multo *ſero* ſcatet.

19-21)

19-21) *Pulmo dexter* vbiuis fere, vel ad ipſum ſternum pleurae adhaeret; in parte inferiore ſpongioſus, laxus, ad ſuperiorem & mediam durus & inflatus. Ex inciſa ibidem & preſſa ſubſtantia vndique *pus coctum* exſudat: & in apice ſuperiore latet *ſaccus purulentus*, pure bene cocto plenus.

22) Liber & ſine labe eſt *pulmo ſiniſter*.

27) *Pericardium multum liquoris* recondit.

28) *Cor* durum eſt: ventriculus dexter parum cruſtae inflammatoriae; ſiniſter parcum cruorem continet.

* * *

1) Seri in caua corporis effuſi collectio duplicis generis eſt: modo enim ipſius morbi; modo mortis lentae effectus. Prior critica eſt, ſed mala, vlceribus & ſcirrhis internis vtplurimum iuncta. Interdum tamen, niſi viſcera nimis laeſa fuerint, effuſus liquor per vaſa reſorbentia recipitur, atque, pro varia eius indole, aliqua ſui veſtigia, veluti craſſioris partis, vaſculorum reſorbentium oſcula aegre ſubeuntis, ſedimentum, varia forma ad cauorum parietes relinquit. Modo excreſcentias verrucoſas, irregulares; modo

cruſtam

cruſtam aſperam; parietes & viſcerum ſuperficies ſabulo veluti conſperſos; mediamue cruſtam gelatinoſam hoc ſedimentum refert: modo glutinis inſtar in laminas & lacinias aliaue vincula coit, quibus vicinae partes praeternaturali nexu conferruminantur.

2) Hepatis acini non ſoli morbo mucoſo, ſed hydropi etiam & cognatis vtrique morbis competunt. Ex vitiatae bilis in vaſis ſecernentibus ſtagnatione procul dubio oriuntur; ita vt pars craſſior bilis, ſedimenti inſtar, remoretur & in acinos illos colligatur; pars vero tenuior in ductus biliarios percoletur & excernatur. Hinc in eiusmodi morbis bilis cyſticae & excretae conſiſtentia vtplurimum in relatione acinorum ſolet eſſe diuerſa. Quo notabiliores acini & quo maior inde hepatis obſtructi durities; eo tenuior bilis & a laudabilii craſi magis aliena obſeruatur; & v. v.

3) Quoduis corporis humani fluidum, dum vitium cepit, & reliquos humores in conſenſum trahere eosque, tamquam fermentum quoddam, in ſui ipſius naturam convertere ſolet. Ita in morbo mucoſo, quamdiu muci vitium praeualet, indolis mucoſae

particeps bilis vappida ad hepatis obſtructionem acinosque formandos ſymbolam ſuam confert. Similis obſtructio hepatis & primarum viarum, maximam partem mucoſa, procul dubio in febribus intermittentibus obtinet. In ſpecie morbi mucoſi bilioſa viciſſim, tam quantitate, quam qualitate, bilis vitium eminet. Hinc acrioris & vberioris bilis ſtimulo in tenue liquamen reſoluitur mucus ſtagnans, bilis tranſudantis rore vicinae partes polluuntur, illius flumine conſpurcatur villoſa, laceſſitur aluus, atque reliquorum humorum craſis laudabilis ſufflaminatur.

4) Duplicis indolis ſunt papillae fungoſae ad tunicam villoſam ventriculi & duodeni. Altera ſpecies, ex reſiduis paſſim orificiorum veſtigiis dignoſcenda, colliculos refert, a folliculis, nunc expreſſis, ſuperſtites: altera, ſicut & ipſae rugae ad ſuperficiem internam ventriculi, ſimpliciter ex laxioris villoſae corrugatione enaſcitur, dum tunicae exteriores ſpaſtice ſtringuntur. vid. Tab. I.

5) Vitia pulmonum, apicem ſuperiorem occupantia, vtplurimum ex antiqua labe chronica originem trahunt; accedentem vero morbum acutum per criſin malam le-

lethalem reddunt. Ad laudabilem enim coctionem & criſin requiritur viſcerum integritas. Nec temere vitium, ex praeſenti morbo acuto in pulmones translatum, alterutrum tantum latus afficit, ſed plus minus vtrumque ſimul; niſi quidem ex praegreſſo morbo chronico pars alterutrius pulmonis laeſa ſuſcipiendae materiae criticae aptior facta fuerit.

SECTIO III.

d. 20. *Ian.* *Vir* 28. *annorum.*

Abdomen.

1) *Corpus modice extenuatum*, abdomen collapſum, atque cum cute rigida ſunt papillae in ſuperficie abdominis & brachiorum eleuatae. Leuiter tumet caput ab *effuſa in celluloſam gelatina.*

2) *In abdominis* peluisque *cauo* modica tantum *ſeri effuſi* quantitas notatur.

3) *Omentum* contractum & modice emaciatum eſt.

4) *Glandulae meſaraicae* magnae & cinereae; in meſocolo ſiniſtro & imo magnae, durae, *inflammatae*, obſcure rubrae, in ae-

re libero, perinde ac lien, colorem floridum * adipiſcuntur.

5) *Hepar* vt in Sect. I. *acinoſum*, magnum, ingrate rubellum eſt; *pars inferior lobi dextri ad vtramque ſuperficiem e fuſco nigricans.* Inciſum in eadem ſede parenchyma eiusdem coloris eſt, & *quo propius margini, eo quidem obſcurioris.* Subſtantia hepatis interna pariter acinoſa notatur; minus tamen diſtincti ſunt acini, quam in Sect. I. Circa veſiculam felleam fuſco flauum eſt parenchyma, in partibus remotioribus fuſcum. Lobi ſiniſtri pars extima in latam & extenuatam laciniam duram, exſanguem, ſcirrhoſam excurrit.

6) *Veſiculam felleam* pallide flauam replet bilis tenuis, e flauo rubella. Interna veſiculae ſuperficies e fuſco flaua eſt eiusdemque villoſa retis inſtar diſpoſita. Vicinia cyſtidi inteſtina maculis bilioſis polluta notauimus.

7) *Lien magnus*, tumens, obſcure coeruleus, mul-

* cf. Optimi STORMII. diſſ. de rubro ſanguinis colore. Hafn. 1762.
it. Ill. ROEDERERI progr. de infantibus in partu ſuffocat. obſervatt. Gœtt. 1760 p. 20. n. 5.

multum inciſus, $7\frac{1}{2}$ poll. longus, 4 poll. latus, 2 poll. craſſus; qua parte aeri libero expoſitus fuit, colorem floridum contraxit *. Subſtantia interna modice reſoluta & friabilis eſt.

8) *Pancreas* durum, acinoſum, e cinereo leuiter rubellum.

9) *Ventriculi* & omenti vaſa cruore referta ſunt; curuatura parua inflammata. Modice repletus eſt ventriculus liquore tenui, decocti auenae ſimili: nullo tamen muco craſſa & tumens villoſa obducitur. Fundum occupant plurimae rugae; curuaturam paruam, in ſuperficie etiam interna, inflammatio.

10) Nihil folliculorum conſpicitur, ſed cuncta rugarum interualla obſident *papillae fungoſae*, verſus curuaturam minorem & pylorum ſenſim minores minusque eleuatae. Ipſi rugarum dorſo villoſa, ſine papillis, aequabiliter ſupertenſa eſt.

11) Inciſi *duodeni* ſuperficiem internam tenuis *mucus* ſubfuſcus obueſtit. Plures quidem iuxta pylorum conſpiciuntur aperturae, ad inſtar foraminulorum; ipſi tamen folliculi non comparent: in parte re-

* vid. l. c.

motiori neque folliculi, neque orificia reperiuntur. Villoſa prope pylorum ex flauo rubella ſiue ſubfuſca eſt; pars ſequior pallide rubra; remotior ex flauo ſubfuſca.

12) *Inteſtina* tenuia pallida, paſſim aere modice inflata ſunt; reliqua pars collapſa. In aliquot ſedibus inflammatis hoſpitantur *lumbrici*. *Colon* transuerſum vacuum & conſtrictum eſt; dextrum prope ad hepar inflammatum; ſiniſtrum cum inteſtino recto vacua, collapſa, pallida ſunt.

13. 14) Inteſtinum ieiunum comprehendit liquorem tenuem, rubellum, putrilaginoſum, *glebulis albis maioribus mucoſis vel ramentoſis* remixtum, qui acrem & volatilem foetorem dispergit. Plurimi etiam immiſcentur lumbrici variae molis. Ad initium *ilei* reperitur *materia mucoſa* cinerea; in vlteriori progreſſu tenuis, rubella; ſenſim ſpiſſior, flaueſcens, plurimis lumbricis & flocculis albis remixta; tota demum flaua & ſpiſſa. *Lumbricorum* in tenuibus 42. fuere.

15) Contenta in *coeco* & *coli* dextri initio materia tenuis, ſubflaua, leuiter fuſca eſt, *flocculis albis* variegata. Haerent ad eandem ſedem *lumbricus* ſolitarius emaciatus, flacci-

flaccidus, cum *trichuridum* in liquore contento fluctuantium copia. Alius ſequitur in loco remotiore lumbricus, prioris ſimilis. Elegantiſſima ad coeci & coli dextri ſuperficiem internam conſpiciuntur vaſculorum minorum retia, cum tunica villoſa craſſa, cinerea & parum *coeruleſcentibus rugis*.

16) Senſim ad *coli ſiniſtri* ſuperficiem internam *eſcharae* * paruae obſeruantur, ſub initium rariores, ſucceſſiue magis ſtipatae, donec demum in vicinia recti & ani, craſſiores omnem fere ſuperficiem occupent. Cruenta, gangraenoſa, e fuſco rubra, dura, aſpera, tumens fiſſa, lacera, veluti exulcerata deprehenditur in ſede eſcharарum tunica inteſtinorum interna. Per aliquot dies in aquam demerſa illa coli & recti parte deprauata, & extracto hoc modo cruore, ſuperficies eſcharotica non amplius cruenta, ſed pallida & ſubfuſca eſt. Aſpera & inaequalis ad quamlibet eſcharam inteſtini ſuperficies plurimis *colliculis* & papillis irregularibus, *verrucoſis* quaſi, obſidetur. Qua cruſta ſcalpelli ope abraſa, pars ſubiacens cruenta, hiſpida, ſanguine effuſo vel ecchymo-

* vid. Tab. III. fig. 2. cf. Sect. cad. I.

momatibus tumet. Sub microſcopio in eſcharis deteguntur fiſſurae, vt inteſtinis dyſentericorum, * ſanguine coagulato repletae.

17) Ex reſecta prope diaphragma *vena caua* vis *cruoris fluidi* & nigricantis profunditur.

Thorax.

18) *Cauum thoracis* ſiniſtrum ſeri rubelli, leuiter ſanguinolenti copiam; dextrum parca tantum veſtigia continet.

19. 20) *Pulmo ſiniſter* liber eſt; *dexter* leuiter, veluti per ſuctionem, pleurae adhaeret. *Media inter pleuram & pulmonem* dextrum eſt *membrana* inorganica, *cruſtae pleuriticae ſimilis*, quae, varia craſſitie, fere totum pulmonem cum diaphragmate obueſtit & cum quadam facilitate *deglubi poteſt.* Vaſcula minima in ſuperficie pulmonum elegantiſſime turgent.

21) Omnis ſuperficies *pulmonis dextri* variegata eſt ex acinis ſiue areolis rubris cum ambitu nigro. Turget ſubſtantia inflata, ponderoſa, ſpumoſa. Materiâ peregrinâ, crudâ,

* conf. SECT. I. p. 7.

crudâ, ſcirrhoſâ infartum pulmonis poſterioris parenchyma friabile, in aquam demerſum ſubſidet; & ex illis ſedibus obſtructis *pus ſemicoctum* exprimi poteſt: pars antica cum apice ſuperiori ſimpliciter multum inflammata eſt.

22) Omnis *pulmo ſiniſtri lateris* multum quidem inflatus, eiusdem cum priori coloris, minus tamen obſcuri, tumet; elaſtica tamen ſub forfice ſubſtantia ſpumoſa, ſpongioſa, non ſcirrhoſa, in aqua natat.

23) *Vaſa pulmonalia* multo cruore repleta ſunt.

24. 25) Ad omnem bifurcationis tracheae ambitum, paſſim etiam circa vaſa pulmonalia, *ſcirrhorum congeries* ludit, quorum alii ex ipſis *glandulis bronchialibus* magnis, induratis, ſubfuſcis, ſunt enati; alii, nigricantes, intus inſperſam materiam tophaceam fouent. Omnes in vnum glomer coaluerunt. Quidam nucem iuglandem mole aequant; reliqui minores ſunt.

26) *Tunica* interna *bronchiorum* inflammata eſt.

27) Retia vaſculoſa *pericardii* bene repleta conſpiciuntur: ipſum pericardium *liquore* rubello & pellucido plenum.

28) *Cor* modica pinguedine tegitur. In ſinu anteriore latet *polypus* tenax, albus, cruore circumſuſus; ſinus poſterior cum ventriculo & aorta, in ramos diuiſa, multo cruore craſſo & nigricante ſcatent.

29) In ſuperficie interna *oeſophagi* comparent vaſcula picta.

30) *Fauces* in vniuerſum, radix linguae, epiglottis, uvula cum tonſillis, enormiter inflammatae ſunt, quin gangraenoſae; atque ex tonſillis & folliculis vis muci ſpiſſioris exprimi poteſt. *Linguae* dorſum cruſta tenui, alba, mucoſa tegitur.

31) *Glandulae colli* conglobatae durae, e fuſco rubrae, tumidae, inflammatae ſunt. Haeret quoque ad apicem thoracis dextri ſuperiorem glandula indurata, nuce auellana altero tanto maior, e fuſco cinerea, cum nucleis tophaceis.

32) *Saliuales glandulae* durae & acinoſae ſunt.

33) *Glandula thyreoidea* obſcure rubra, dura, per omnem ſubſtantiam inflammata.

* * *

1) Glandularum conglobatarum habitus mutatus corruptelam a fluido mucoſo iam ex parte

parte in fluidum gelatinoſum translatam indicat. In ſimplici enim morbo mucoſo peculiaris glandularum lymphaticarum labes non obſeruatur; in morbo autem compoſito, vel ex indole mucoſa in aliam degenere, varie etiam afficiuntur illae glandulae. Si peripneumonicae indolis particeps fit morbus, omne glandularum conglobatarum ſyſtema inflammatur (4. 31. 33.) & praecipue bronchiales atque thoracicae inflatae (24. 25.) infarciuntur materia cruda, critico modo huc congeſta. Si in lentam conſumtionem declinat, glandulae illae ſine notabili inflammatione obſtruuntur congeſta in ſcirrhi ſpeciem materia nutritia cruda, tophacea, cum nucleo ſicco, vel calculoſo aut plus minus purulento. *)

*) Varia in cadauere phaenomena, morbo mucoſo familiaria, a perpetuo preſſionis ſtatu repetenda ſunt. Huc praecipue pertinent ad marginem inferiorem hepatis eiusque ſuperficiem concauam, hilumque lienis, liuores gangraenoſi, cum inflammatis ventriculi curuatura minori, duodeno &, qua parte hepati vicino expanſum apprimitur, colo. Preſſione autem debilitate

*) cf. Sect. I. n. X. p. 35. ſqq.

tate partes inflammationes & ipſam gangraenam facillime admittunt. Hinc quoque ex cauſſis, facile nunc eruendis, frequens eſt in morbo mucoſo genitalium interiorum in ſexu ſequiori inflammatio gangraenoſa.

3) Peruerſum in hoc morbo pancreatis (8) & reliquarum glandularum ſalиualium (32) habitum ex parenchymatis acinoſi duritie; laeſam illarum ſecretionem ex ipſius morbi natura & denegato in lue venerea ptyaliſmo, **) cognoſcimus.

4) Flocculi & glebulae albae ramentoſae (n. 13-15) nihil aliud ſunt, quam muci ſpiſſioris abſterſi & maximam partem in tenue liquamen (9) ſoluti reliquiae.

5) Inteſtinorum craſſorum eſcharae (16) fauciumque (30) & oeſophagi (29) adeo intenſa inflammatio certiſſima morbi ex malo dyſenterico degeneris documenta ſunt & impreſſum morbo mucoſo a ſui genitrice characterem produnt. Quibus phaenomenis in decurſu morbi etiam reſpondet ſuum cuique ſymptoma, vtrique morbo commune, ***) profluuium alui ſan-

**) Sect. II. p. 94. it. Sect. III. obſ. de lue venerea lethali.

***) cf. Sect. I. n. V. p. 19. ſq.

ſanguinolentum atque difficilis illa, praecipue verſus mortem, potulentorum deglutitio; veluti hydrophobiae morbis acutis adeo familiaris ſpecies.

6) Quo magis morbus mucoſus ſenſim degenerauit in peripneumonicum, eo craſſiorem & tenaciorem inter pulmones & pleuram notauimus cruſtam illam intergerinam (19. 20), gelatinoſam, coriaceam, pelli pleuriticae ſimillimam: quid? quod in ſubſequentis hiemis 1761-62. peripneumonia epidemica, in puris ſecreti, ſpiſſati & compactioris ſpeciem, excoctam illam materiem deprehendimus.

7) Farctum atque a materia cruda peregrina, critico modo huc congeſta, inflatum parenchyma pulmonum, cum reliquis in thorace phaenomenis, (19-23, 26-28) morbi mucoſi cum catarrhalibus & peripneumonicis cognationem luculenter prodit. Vtplurimum illa farctura partem pulmonum poſticam & inferiorem, raro ſuperiorem, numquam fere anticam, occupat; omnes veſiculas aereas vel replet, vel comprimit, atque parenchymatis pondus ſpecificum ita auget, vt interdum vel cum annexa parte laxiore in aquam demerſus pulmo fundum petat. Pars obſtructa flatum per bron-

bronchia intruſum non admittit, ſine elateris reſiſtentia & ſtrepitu diſcinditur, atque ex ſegmentis rigidis, e cruento & inflammato parenchymate maculisque albis vel cinereis; variegatis paſſim puris plus minus cocti primordia quaedam exprimi poſſunt. Plerique citius iugulantur peripneumonicorum morte, quam in verum pus materia congeſta excocta fuerit. Qui lente pereunt, formato vlcere pulmonum denaſcuntur.

SECTIO IV.

d. 16. *Mart.* *Vir* 37. *annos natus.*

Abdomen.

1) *Corpus non emaciatum; abdomen inflatum*, molle, cedens; leuiter coeruleſcens; *pedes* parum *oedematoſi* ſunt.

2) Ingens *liquoris* ſanguinolenti *copia in abdominis cauo* effuſa eſt;

3) *Omentum* flaccidum, reſolutum; meſenterium emaciatum; vaſa cruore turgent.

5) *Hepatis* ſubſtantia *acinoſa* eſt; ſuperficies concaua cum marginibus obſcure liuet, ita vt liuor aliquot lineas in ipſum parenchyma

ma deſcendat; reliquum parenchyma e rubello fuſcum notauimus. Facile ſecedit membrana communis, quin

6) tota *veſicula fellea* ſua ſponte ab hepate ſoluitur, pallida, craſſa; modice repleta bile tenui, rubello flaua. Interna cyſtidis ſuperficies pallide flaua eſt.

7) *Lienis magni*, inflati, liuidi, ad marginem inciſi ſubſtantia interna reſoluta, mollis, friabilis obſcure & ingrate rubella, *maculis exiguis albis, purulentis*, diſtinguitur.

9.10) *Ventriculi* in medio conſtricti apex coecus cum cardia gangraenoſa ſunt. Media inter tunicas celluloſa paſſim aere reſoluto eleuatur. *Villoſa* paſſim nigra, gangraenoſa; caeterum, ſine folliculis diſtinctis, *fungoſa* deprehenditur.

11) *Duodenum* cum *ieiuno* inflammata ſunt. In prioris ſuperficie interna rariores, in poſteriori copioſiores conſpiciuntur *folliculi mucoſi*.

12) Vtriusque generis *inteſtina* aere inflata, in vniuerſum turgidis cruore vaſis picta, quibusdam in locis gangraenoſa ſunt. *Colon* dextrum & transuerſum aere turgent, ſiniſtrum ſtrictum eſt.

13.14)

13. 14) *Tennia* continent materiam primum *mucoſam*, pallidam, heterogeneam; in *ileo* parum flaueſcentem; cum *lumbricis* 6, magnis, *rigidis*, ſolitariis. Totius canalis villoſa inflammata vaſculis cruore turgidis diues eſt: paſſim etiam vera, a ruptis veluti vaſculorum extremis, *ecchymomata* immiſcentur.

15. 16) In *coeco* reſidet *materia atra*, leuiter cinerea, fluida. Tunica interna inflammata, vaſorum arbuſculis cruore refertis diſtincta. Sine admixtis trichuridibus ſpiſſior ſenſim *nigriorque* in *colo* fit materia contenta. *S. romanum* paſſim aliquid pulmenti excrementitii recondit, cum leuioribus ad ſuperficiem internam inflammationis ſignis.

17) Reſecta *vena caua* multum cruoris fluidi eructat.

Thorax.

18) *Cauum thoracis* ſiniſtrum liquoris tenuis, obſcure rubri ſaltem decem vncias; oppoſiti lateris cauum parcam tantum copiam, comprehendit.

19) *Pulmo ſiniſter* liber eſt, modice inflatus, maculisque nigris notatus: *dexter* pertinaci-

tinaciter cum pleura cohaeret, ſanguine magis inflatus atque priori obſcurior.

20-26) Neque vlcera neque ſcirrhos fouet pulmonum ſubſtantia.

27) In *pericardio* adeſt aliquid *ſeri rubicundi.*

28) In *cordis magni, modice flaccidi & reſoluti*, vtroque ventriculo, cum pauco cruore, paruus haeret polypus. Sinus cum valuulis cordis gangraena deprauati & nigricantes ſunt; mitrales ex parte oſſefactae.

* * *

1) Plurima citiſſimae reſolutionis humorum phaenomena continet haec ſectio, quorum cauſſa procul dubio ex vitio cordis locali & antiqua lienis labe repetenda eſt.

2) In tali caſu per gangrenam acutam citius acceleratur fatum, ac humores diſſlari, acini hepatis & folliculorum ſeges deleri, lumbrici flacceſcere, aut coctio quaedam materiae morbificae contingere, potuerint. *)

3) Abdominis, a reſoluto in inteſtinis, vin-

* cf. epicr. ad Sect. I. n°. 4. 5. 7.

culisque in viſceribus liberato aere, inflatio (tympanites vulgo ſpuria, ſed ſola), niſus in citam putredinem, liquoris ſanguinolenti in caua corporis effuſio, ecchymomata, extrauaſatus in inteſtinorum canalem cruor reſolutus, farctura pulmonum gangraenoſa &c. citiſſimae reſolutionis ſunt effectus & non niſi morbum crudiſſimum ſequuntur.

SECTIO V.

d. 25. Ian. Vir 34 annorum.

Abdomen.

1) *Corpus* procerum, toroſum, *quadratum* eſt, muſculis ſanis inſtructum: abdomen planum.

* In medio abdomine $1\frac{1}{2}$ pollicem ſupra vmbilicum ſub cute tangitur tumor oblongus, compreſſus, $1\frac{1}{2}$ poll. latus, 1 poll. longus. Nihil ad eamdem ſedem cicatricis in cute conſpicitur; qua inciſa, collecta ibidem pinguedo indurata tumorum eleuauit. Separato a partibus ſibiacentibus tumore & inciſa iuxta longitudinem linea alba, in conſpectum venit hiatus transuerſus, tendineus, craſſus, validus,

dus, cum laeui margine, 9 lin. longus, qui media in linea alba incipit eamque dextro in latere paullo tranſcendit. Radix tumoris, poſtquam annulum iſtum tranſiit, inter peritonaeum reliqua abdominis integumenta ſurſum excurrit, explanatur in ſtratum latiuſculum pingue, adhaeſionem ligamenti hepatis ſuſpenſorii ſequitur atque ſenſim extenuata demum euaneſcit. Ligamentum hepatis teres multis fimbriis pinguibus, complanatis, appendicibus coli ſimilibus, inſtructum eſt.

2) Parca tantum *ſeri in abdominis cauo* ſunt veſtigia.

3) *Omentum* vtrumque craſſum, obeſum; maius longe dependet, lienis apicem inuoluit ipſique adhaeret. Ipſa eiusdem *pinguedo arida*, *dura*, tactu quaſi *arenoſa* eſt.

* Inſtar laciniae tenuis acuminatae omento inhaeret *hepar paruum ſuccenturiatum*, 10 lin. longum 5½ latum, 2 craſſum, eiusdem cum hepate primario ſubſtantiae. Conuexa eius ſuperficies e fuſco rubra; plana, omento adnata, liuida eſt.

Meſenterium craſſum, laxum, pingue, elongatum longe dependet.

4) *Glandulae meſaraicae* parciores, pallidae, minus conſpicuae ſunt.

5) *Magnum*, fuſcum, ad marginem inferiorem & ſuperficiem concauam liuidum, *hepar*, quam *leuiſſime*, ſi paullo curatius inſpicitur, praeſertim ad ſuperficiem concauam, *acinoſum* eſt. *Molem naturalem longe ſuperat lobus dexter*, craſſus, inflatus, tumens: ſiniſter extenuatus in parte ſuperiori in tenuem laciniam excurrit, ad cuius ſuperficiem concauam rami vaſorum magni, craſſi, albi, immediate ſub membrana communi conſpiciuntur. Lobulus innominatus pariter *in laciniam prismaticam dependentem* excurrit. Ad ſuperficiem hepatis concauam membrana externa a liuido & reſoluto parenchymate facile ſecedit. Lobi dextri acini, ob reſolutum parenchyma, maiores, ac in lobo ſiniſtro, magis a ſe inuicem diſtant. Immediate ſub membrana communi ad ſuperficiem conuexam lobi dextri locatur *cyſtis* pellucens 5 lin. longa, 4 lata: inciſa liquorem rubellum & pellucentem effundit; in fundo, qui dimidium pollicem a ſuperficie diſtat, *pus coctum* continet.

6) Marginem hepatis longe tranſcendit *veſicula* fellea ampla, expanſa, variegata maculis

culis e fuſco rubris inflammatis, albis & virideſcentibus. Iuxta marginem colli veſiculae & ductum choledochum *copioſa* adeſt *pinguedo*. *Bilis* copioſa, e fuſco rubella, *heterogenea*; interna cyſtidis ſuperficies obſcure fulua eſt.

7) *Lien maximus*, 9 poll. longus, 6 latus, $2\frac{1}{2}$ craſſus. Apex ſuperior craſſus, latus, ad ſuperficiem conuexam longe *inciſus*: inferior anguſtus extenuatus, profunda vtrimque inciſura notatus eſt. Qua parte ſuperficiem conuexam liuidam tetigit aer, florida deprehenditur: ſuperficies concava maculis nigris & albis variegata. Dum pars florida denuo contegitur & ab aeris acceſſu munitur, color coccineus euaneſcit, & viciſſim pars obſcura, aeri expoſita, effloreſcit. (*) Membrana lienis facile deglubitur: ipſum parenchyma molle, reſolutum, & gangraenoſum eſt.

8) *Pancreatis* ſubſtantiam rubellam & modice *duram* notauimus.

9) *Ventriculus* laxus & collapſus eſt. Curuatura

(*) eamdem mutationem, praeter lienem ſubeunt lobus dexter hepatis & pars ventriculi inflammata.
* cf. not. ad Sect. III.

uatura minor, apex coecus, pylorus, oeſophagus & duodenum valde inflammata ſunt. Recondit ventriculus materiam parcam, tenuem, rubellam, heterogeneam, verſus pylorum ſubfuſcam & muco permixtam.

10) *Oeſophagus* conſtrictus rugis longitudinalibus diſtinguitur, & circa eiusdem inſertionem plurimis *folliculis mucoſis* tumentibus. Villoſa ad curuaturam paruam & apicem coecum rubra & inflammata; verſus curuaturam magnam ſenſim magis coeruleſcens deprehenditur cum maculis albis ſubtus conſpicuis. Tenuis ſimul in his ſedibus eſt villoſa: verſus pylorum magis fungoſa fit, cum reſiduis paſſim in eminentiis fungoſis folliculorum orificiis. Interna *ventriculi* ſuperficies, ob laxiorem eius habitum, minus rugoſa eſt, ac in aliis cadaueribus atque folliculorum veſtigia obſcuriora aeger dignoſcuntur.

11) *In duodeno*, leuiori in gradu inflammato, materia parca, tenuis cinerea, mucoſa notatur; & inde ab initio tunica villoſa villis ex albo cinereis & rubellis inſtructa eſt, in reliquo tenuium tractu pedetentim obſcurioribus.

12) *Inteſtina* laxa, collapſa, paſſim modice reple-

repleta ſunt. In *tenuibus* cinereis & leviter inflammatis, paſſim lumbricus tangitur. *Craſſorum* tractus vacuus &, praeter ſtrictum colon ſiniſtrum, collapſus eſt. Colon dextrum, qua parte hepar reſpicit, valde inflammatum.

13. 14) In media *ieiuni* parte hoſpitantur duo *lumbrici* & in loco paullo remotiori alius ſolitarius. Eadem materia tenuis cinerea (n. 11.) omnem pene canalem tenuium fere ſimpliciter obducit; in *ileo* paullo vberior ſit ſimulque tenuior.

15) Similis etiam materia parca in *coli* tractu reperitur, cui in *coeco* & *colo dextro* plurimae immiſcentur *trichurides*, in colo tranſuerſo parciores, nullae in ſiniſtro.

16) Coeci & coli dextri *villoſa* ex cinereo *coerulea*, craſſa, inflammata, vaſculis minimis picta eſt. In reliquo craſſorum canali, licet vaſcula aeque plena ſint, villoſa minus inflata nec adeo coerulea eſt.

* Iuxta pylorum plurimi *folliculi mucoſi* conſpiciuntur, *non prominuli*, ſed potius collapſi & ex ſolis orificiis notabiles. Senſim in continuato duodeno magis eleuantur valuulae, in quarum dorſo rariores ludunt *folliculi in* totidem *capitula*

eminentes; plures enim tumentes, duriuſculi, elongati, prominuli, foueas medias occupant * & ad mediam vltimamque duodeni partem ſenſim rariores fiunt ſimulque maiores: quin tenuior ſenſim ſeges illorum, in capitula quidem eleuatorum, non autem orificiis notatorum, in ieiuno **; tenuiſſima in ileo, tandemque nulla, ſtrata eſt.

** In fine ilei, ad omnem ſuperficiem valuulae Bauhini, in toto canali appendicis vermiformis, in coeco & ſub ipſum coli dextri initium copioſiſſimi conſpiciuntur *folliculi coagmentati, in capitula non eleuati*, ſed ſimpliciter orificiis nigricantibus, confertim congregatis, diſtincti. Ipſa quidem ſpecie a folliculis ventriculi & tenuium diſcrepant: licet enim ſaepe in hoc morbo (aliisque, ſed obſcuriores) obſeruati ſint, ne ſemel tamen eleuatos aut prominulos, vtut prioribus longe ſtipatiores & materia mucoſa obſcure cinerea refertos, vidimus.

*** Paſſim in ſuperficie inteſtinorum tenuium interna *areas* quasdam, inteſtini canalem

* vid. Tab. II.
** vid. Tab. III. fig. 3.

canalem ſequentes, variae magnitudinis, e. c. aliquot pollices longas, dimidium latas, plurimis *ſtigmatibus* exiguis, obſcurioribus, ſtipatis, notatas, in hoc & compluribus aliis cadaueribus vidimus. Ita autem comparata eſt illa foueolarum ſeges, ac ſi in illarum ſede villoſae particulae eſſent decerptae aut exeſae.

17) Magna cruoris copia venas iliacas replet. Pariter ex reſecta ſupra hepar *vena caua* cruoris nigricantis & tenacis thrombos extraximus.

Thorax.

18) In vtroque *thoracis cauo* modica liquoris rubelli copia notata eſt.

19) Pulmo dexter *mediis* aliquot *laciniis* cum parte pleurae anteriori leuiter *cohaeret*; ſiniſter liber eſt.

20-22) *Pulmones* ampli, modice inflammati, ceterum ſani ſunt. Pars inferior vtriusque pulmonis colore ſaturatior; ſubſtantia ibidem inflata, humoribus congeſtis turgida, ponderoſa eſt. Veſiculae aereae per omnem pulmonis ſubſtantiam permagnae, elegantiſſime conſpicuae; ad par-

tem obſtructam immiſſum ſlatum nequaquam recipiunt.

23) *Vena caua ſuperior* cum ſuis ramis cruore coagulato turget: modica etiam cruoris copia *in aorta* deſcendente latet. Omnis vaſorum arterioſorum ſuperficies externa vaſculis turgidis, retis inſtar diſpoſitis, picta deprehenditur. Cruor ex quouis vaſe extractus, aeris acceſſu colorem coccineum *) nanciſcitur.

24-26) *Glandulae bronchiales* ad bifurcationem tracheae iuſto maiores, fuſcae, induratae ſunt.

27) Craſſum *pinguedinis ſtratum* omnem fere *pericardii* ſuperficiem cingit.

28) *Cor* magnum, robuſtum, validum, ſanum, modica pinguedine tegitur. In vtroque ſinu & ventriculo dextro enormis copia cruoris coagulati haeret.

* * *

1) Allatae (ad Sect. I.) notae diſtinctiuae indicant, hanc ſectionem referri poſſe ad ſpeciem febris mucoſae malignae inflammatoriae; ita tamen, vt per antiquam, ex lobi ſiniſtri habitu peculiari praecipue manifeſtam,

*) cf. not. ad Sect. III.

niſeſtam, hepatis labem, ſimul cum ſpecie acceſſoria confluat.

2) Iuſto vberiorem corporis & ſingularem partium obeſitatem ſemper ex ſuo hepatis vitio enaſci, multae aliae, honoratiorum etiam, ſectiones nos docuerunt. Praeter notabilem vel in vniuerſi hepatis, vel alterutrius lobi, duritiem, in corpore obeſo, bilis a naturali indole plus minus degener, heterogenea, interdum quaſi purulenta, quin veri ex illo ſedimento enati calculi fellei, obſeruantur. Congeſta perpetim critico modo in vniuerſam cellulosam pinguedo arida eſſe ſolet, dura & acinoſa; haud raro partibus oleoſis orba, ſicca, arenoſa, flaua, quin crocea. In maiori obeſitatis gradu omne fere corporis nutrimentum, cum reliquarum partium conſumtione & hebetudine, per morboſam pinguedinis ſecretionem, ita deriuatur in telam celluloſam, vt cuiuslibet acini durioris cellula ſenſim in cyſtidis denſioris ſpeciem ſimul expandatur; atque adeo & haec conſumtionis ſpecies morbis phthiſicis accenſeri mereatur. Niſi alia criſi per interualla ſoluatur hepatis vitium, admodum procliues ſunt obeſi homines ad varii generis febres malignas, quarum periculum facili humorum reſolutione adipisque

que diffluentis vbertate multum intenditur. Subito in obeſiorem mutatus corporis habitus latentis vitii incrementum prodit morbumque imminentem praenunciat. Proni etiam ſunt ventroſi homines ad peſſimos ex febre intermittente degeneres morbos, febrem inprimis pernicioſam apoplecticam ipſamque apoplexiam, cum citiſſima humorum reſolutione.

3) Hepatis & lienis inciſurae praeternaturales (n. 7.), laciniae (n. 5.), loborum & figurae diſproportio atque inflatio particularis (n. 5.), appendices vel globuli ſimilis ſubſtantiae a primario viſcere disiuncti, & in vniuerſum ſuccenturiatum alterutri viſcus exiguum (n. 3.), debilitatem quamdam harum partium indicant, vtplurimum connatam (haud raro enim iam in embryonibus & recens natis obſeruantur), ad futuros morbos & vitia localia (n. 5.) diſponentem.

4) Hernia ventralis ſpuria procul dubio repetenda eſt a connato ad lineam albam hiatu exiguo, alternis contentorum abdominis preſſionibus ſenſim dilatato.

5) Folliculorum mucoſorum in inteſtinis tenuibus (16. *) a craſſorum cryptis (16.**) dif-

differentia pendere videtur a diuerſis, pro varietate partium, ſtructura, diſpoſitione ductusque excretorii habitu. Reliquis magis conſtantes atque citra morbum mucoſum ſubinde etiam conſpicui eſſe ſolent cryptae mucoſae ad ilei extremum *), valuulam Bauhini, in appendice vermiformi ipſiusque coli initio.

6) Rariores in hoc morbo notatu ſunt oeſophagi (n. 10.), aſperae arteriae & genitalium **) folliculi mucoſi turgentes; rariſſime ſimul cum illis, videlicet ſerioribus, in capitula eminent lacunae ventriculi.

SECTIO VI.

d. 26. *Ian. Miles ex noſocomio.*

Abdomen.

1) Corporis ſatis quadrati habitus externus ſanus eſt: *muſculos* vero, *pallidiores*, licet validos, *circumfundit* modica *gelatinae co-*

*) cf. I. C. Peyeri opuſcula. Cap. I. de glandulis inteſtinorum. It. Boneti Sepulcretum Libr. III. Sect. X. Obſ. IV. in ſchol. It. Sect. VI. n. 16.

**) cf. infra folliculorum vaginae elegantiſſime repletorum deſcriptio.

copia, in capitis celluloſa ſucutanea praecipue notabilis.

2) Aliquid *ſeri* in abdominis peluisque cauis effuſum eſt.

3) *Omentum* ſanum elegans rete repraeſentat. *Meſenterium* autem flaccidum, paſſim inflammatum, ingrate flaueſcens, turgentibus vaſis ſanguiferis pictum notatur.

4) *Glandulae meſaraicae* copioſae, e fuſco rubellae, duriuſculae & obſtructae ſunt.

5) *Hepar*, mole maximum, ex rubro leuiter coeruleum, ad ſuperficiem concauam obſcure *liuet*, ita, vt liuor aliquot lineas in ipſam etiam ſubſtantiam ſeſe immergat. In parenchymatis modice reſoluti medio quaedam *acinorum veſtigia* & maculam nigricantem reticularem vidimus, diametri 5 linearum, ortam a ſanguine in ipſum parenchyma effuſo.

6) *Veſicula fellea* abſcondita latet in tela celluloſa, qua mediante *cum partibus vicinis* pertinaciter coaluit. Longe intra hepatis marginem ſubſiſtit *pallidae* veſiculae, fuſca & ſubtenui bile modice repletae, fundus.

7) *Lien maximus*, $8\frac{1}{2}$ poll. longus, $5\frac{1}{2}$ latus & 3 ſaltem craſſus, obſcure liuidus, mollis, reſolutus atque friabilis eſt.

8)

8) *Pancreas* magnum & durum.

9) Turgent vaſa maiora *ventriculi* in anguſtiſſimum farcimen contracti; curuatura parua cum pyloro modice inflammata ſunt, totaque ſuperficies interna, apprime rugoſa, *copioſo muco* cinereo, ſubfuſco, *aegre abſtergendo* oblinitur. In aqua iugiter concuſſum iterumque lotum & aeri libero expoſitum ventriculum obueſtit *cuticula verſicolor*, muci videlicet reſidui exſicca ſuperficies. Ventriculi villoſa in dorſo rugarum rubra & inflammata; in mediis foueis pallide cinerea eſt. Apicem in vicinia pylori cinerea obſident *papillae fungoſae*.

10. 11) Omne *duodenum* inflammatum, e fuſco rubrum, praeter duos *lumbricos maximos, muci ſpiſſi*, obſcure fuſci, flocculis albis & caſeoſis, veluti *vermiculis*, remixti copiam recondit. Initium duodeni occupant *folliculi mucoſi* eleuati, pleni; in rugis obſcure rubris copioſiſſimi; parciores in foueis mediis. Reliqua duodeni pars coeruleſcens ſiue e cinereo ſubfuſca, folliculis caret.

12) *Inteſtina tenuia*, paſſim modice repleta, intenſe inflammata a vaſculis turgentibus rubent.

rubent. *Pars tenuium*, 2 poll. longa *in vicinam inſerta*, veluti in theca ſtringente latet. *Craſſa* ſine labe conſpicua ſunt. Altiori loco haeret *colon dextrum*, pertinaciter atque arctiſſime cum ſuperficie inferiore lobi dextri hepatis coalitum: *ſiniſtrum* & inteſtinum *rectum* ſcybalis coctis modice replentur.

13) *Ieiunum* per omnem eius tractum multam *vim materiae mucoſae* tenacis, ſubfuſcae & filamentis albis remixtae comprehendit, quae ipſi tunicae villoſae ſubfuſcae & leuiter rubellae adhaeret. Ipſum inteſtinum inflammatum & vaſa eiusdem affatim repleta ſunt.

14) Obſcurior ſimulque parcior in *ileo* euadit contenta materia mucoſa; leuior inflammatio ipſam ſubſtantiam occupat; villoſa vero, *pigmento flauo*, non abſtergendo vbiuis imbuta, inflammatione caret.

15) *Coecum* vix adeſt. In *colo dextro* autem, prope ad inſertionem ilei, congeries ramentorum radicis cuiusdam, liquiritiae groſſo modo conquaſſatae ſimilis, excrementis ſubfluidis remixtorum latent: quibus fibris ligneis, aqua abſterſis ingens vermiculorum * (*trichuridum*) copia inhaeret

* cf. SECT. II. p. 41.

haeret, qui ſinguli fere cauda ſua capillari pendent ex illis fragmentis ipſisque implicantur.

6) *Coli villoſa* ad illam ſedem craſſa, leuiter coerulea, ſtriis coeruleis paſſim diſtinctioribus; vaſcula minorum generum eleganti ſſime repleta, veluti picta; atque *folliculi mucoſi* copioſi, magni, repleti, *haud prominuli*, paſſim *circulo e fuſco rubro circumſcripti*, paſſim ſine illo ambitu *puncto nigro* ad aperturam ſimpliciter notati, conſpiciuntur. Tunica villoſa appendicis vermiformis ſubfuſca ſtipatioribus folliculis dives eſt. **

Nullae in reliquo craſſorum canali inter ſcybala reperiuntur trichurides. Villoſa perinde ac in colo dextro; minori tamen in gradu, deprauata eſt.

7) Vacuae ſunt arteriae abdominales; *vena caua* autem, emulgentes & iliacae in maximam diametrum expanſae cruore farciuntur; atque ad renis dextri hilum varix ex emulgente dependet. Maximam cruoris copiam eructat reſecta ſupra hepar vena caua magnusque per aperturam in ſinu cordis dextro conſpicitur *polypus*, cru-

T ſtae

** cf. SECT. praec. n. 16.

ſtae inflammatoriae ſimillimus. Turgent quoque peritonaei vaſa, praecipue ad diaphragmatis, in latere dextro inflammati, poſticam ſedem.

Thorax.

18) Parum *liquoris* extrauaſati *in cauis thoracis* deprehendimus.

19. 20) Teneris laciniis mediis *cum pleura* & diaphragmate *cohaerent pulmones*, ſanguine parum inflati, dextri praecipue lobus inferior: ſatis tamen ſpongioſi ſunt, rubri, paſſim liuidi, cum diſſectae ſubſtantiae obſcure rubrae ſpumoſo habitu.

23) *Aorta* & *vaſa pulmonalia* multum cruoris complectuntur.

24. 25) Praeter paucas *glandulas bronchiales* nigras, ad bifurcatam tracheam magnum *ſcirrhum* notauimus, cuius ſubſtantia caſeoſa, ſubtophacea, alba exſiccationis ope in calculi ſpeciem induratur, 1 $\frac{1}{2}$ poll. longi & 9 lin. lati.

26) *Laryngi* & *bronchiis* craſſis, rigidis, induratis, ad ſuperficiem internam notabiliter inflammatis, *vis muci* inhaeret.

27) Parum inflammatum *pericardium* parcam *liquoris* copiam continet.

28)

28) Cruore turgent *cordis* vaſa coronaria; ventriculus poſterior vacuus eſt, anterior vero cum cruore *polypum* fouet.

30. 31) *Pharynx* & *fauces* multum inflammatae ſunt; *oeſophagus* copioſo muco oblitus.

* * *

1) Eximium ſectionis ſpecimen naturam huius morbi miramque eius ad partes relationem diſtinctiſſime monſtrat: plurimi enim morbi mucoſi compoſiti characteres euidentiſſimis in hoc cadauere phaenomenis exprimuntur. * Ita antiquam hepatis labem manifeſtat inſolitus veſiculae felleae habitus & nexus; recentiorum acinorum veſtigia reſidua. Mucoſam indolem produnt ingens muci in canalem alimentarem, ductu choledocho ſuperiorem, congeſtio & color inteſtinorum liuidiusculus; bilioſam villoſae pigmentum; verminoſam hoſpites; inflammatoriam inflata viſcera (n. 5. 7.) cum reliquis notis ſupra traditis (ad Sect. I.); neruoſam ventriculi ſtrictura cum tenuium volvulo. Tranſitum vitii ex mucoſo in gelatinoſum & vtriusque affinitatem cognoſcimus ex glan-

* cf. SECT. I. n. IX. p. 31. ſqq.

glandularum conglobatarum (n. 4. 24.) corruptela & gelatinae in celluloſam depoſitione (n. 1.); cognationem cum malo dyſenterico ex inflammatis faucibus (n. 30.); & iam e longinquo analogiam quamdam huius morbi cum ſubſequentis hiemis morbo thoracico in hoc & multis aliis cadaueribus obſeruata in thorace phaenomena indicant.

2) Vermiculi albi (n. 10. 11) certiſſime nihil aliud ſunt, quam muci, ſtagnatione inſpiſſati & contracto fortiter ventriculo ex ſuis ſinibus demum expreſſi, filamenta, cum reliquo muco magis iam attenuato ſenſim distemperanda; quales etiam vermiculos in aliis morbis exhibito vomitorio euocatos ſaepius notauimus.

3) Armato oculo inueſtigatam folliculorum mucoſorum, ambitu liuido circumſcriptorum (n. 16.), membranam exiguis ecchymomatibus circuinfuſam; puncto nigro notatorum, gangraenoſo modo inflammatam deprehendimus.

SECTIO VII.

d. 7. Febr. Miles in noſocomio denatus & diſſectus.

Veſicatorium in ceruice aluit & pridie ante mortem aliquot lumbricos ore reddidit, non quidem vomitu, ſed ſponte adſcendentes & ab adminiſtris e faucibus extractos.

Abdomen.

1) Habitus corporis externus *modice emaciatus* eſt, abdomen complanatum &

2) modica *ſeri* quantitas *in abdomine.*

3) *Omentum* extenuatum, flaccidum, fuſcum, reſolutum omnisque pinguedinis expers notauimus: *meſenterium* laxum, tenue, modice emaciatum & elongatum. Turgent vtriusque vaſa maiora cruore.

4) *Meſenterii glandulae* magnae, e fuſco rubellae, duriusculae obſtructae, & inflammatae ſunt.

5) *Hepatis*, non niſi *obſcuro modo acinoſi*, ſuperficies conuexa e fuſco rubra eſt; nigricant concaua & margines cum quadam parenchymatis reſolutione.

Ad ſuperficiem & in ipſo parenchymate

 paſſim

paſſim locantur *globuli albi*, piſiformes, materia cruda *ſcirrhoſa* repleti.

6) *Veſicula fellea* flaua, ampla & plena eſt.

7) Plurimi in *liene* magno & craſſo, ad ſuperficiem e liuido fuſco, diſſeminantur *ſcirrhi albi*, globoſi, piſorum mole; alii ad ſuperficiem; alii in parenchymate reſoluto.

8. 9) *Ventriculus* non inflammatus, pylorum verſus conſtrictus, in apice coeco laxiori recondit materiam tenuem, decocti auenae ſimilem, flocculis albis remixtam. *Villoſa* tenuis eſt, veluti deterſa, ſine inflammatione notabili, ad partem conſtrictam rugoſa.

10) Eleganter quidem conſpicui ſunt ventriculi *lacunae mucoſae*, non autem prominulae.

Inteſtina tenuia per omnem fere tractum multum inflammata, paſſim modice repleta, paſſim vacua & conſtricta ſunt; *colon* dextrum aere inflatum, transuerſum modice expanſum; ceterum ſine notabili inflammatione externa.

11. 13-15) In *duodeno* & *ieiuno* multa vis materiae flauae, tenuis, mucoſae, paſſim viſci-

viſcidae, paſſim ex fuſco virideſcentis, cum duobus ad mediam ieiuni partem *lumbricis*, reconditur; ſimilis in *ileo* materia cum lumbrico ſolitario. Villoſa, vt in aliis cadaueribus, inflammata & leuiter coerulea eſt.

16) Plurimae in *coeco*, colo dextro & transuerſi initio nidulantur *trichurides*, atque villoſae coeruleae vaſcula minima turgent. Reliquis craſſorum canalis ſcatet materia tenui & pallide flaueſcente.

* Prope appendicem vermiformem in meſocolo obſeruatur *ſcirrhus* globoſus, nucis auellanae magnitudine, cum nucleo interno pallide cinereo, arido, duro.

*

* *

1) Ad ſpeciem morbi mucoſi lentam iam propius accedunt obſeruata (1. 2. 3. 4.) phaenomena.

2) Morbi deleterii naturam etiam exprimunt critica materiae crudae & ſcirrhoſae in hepar, lienem & meſocolon congeſtio atque glandularum lymphaticarum corruptela. *

3) Solutum viſcerum parenchyma (5. 7. 8. 9.),

T 4 tenuis

*) conf. SECT. II. p. 87.

tenuis in canali alimentari ſaburra bilioſa & paucorum lumbricorum ſpontaneus abſceſſus, putredinis abdominalis & lentae, per diarrhoeam colliquatiuam, humorum reſolutionis, lumbricos fugantis, ſunt indicia.

SECTIO VIII.

d. 9. Febr. Miles in noſocomio diſſectus.

Abdomen.

1) *Macilentum* & morbo confectum eſt *corpus*, abdomen ſine putredinis ſignis collapſum.

2) Parum *liquoris* effuſi in abdominis cauo.

3. 4) *Omentum* emaciatum, reſolutum flaccidum; *meſenterii* extenuati *glandulae* minus notabiles obſeruantur.

5) *Hepar* paullo maioris molis, modice induratum & *obſcure acinoſum* eſt, ad ſuperficiem conuexam fuſcum, ad inferiorem paſſim obſcure liuidum.

* Inciſo haud procul a veſicula fellea lobo dextro, liquor tenuis & aquoſus cum impetu prorumpit, ex latente ibidem ſedis in ipſo parenchymate *tumore cyſtico*, qui

ad

ad ſuperficiem hepatis conuexam nuda ſui tegminis albi, craſſi & duri parte diſtinguitur.

Complectitur ille tumor magnam in communi alueo incluſarum *hydatidum congeriem;* in ipſo autem tumoris cauo nihil fluidi notauimus. Videtur itaque, liquorem ſub inciſione tumoris profuſum ex diſſecta hydatide maiori originem traxiſſe.

Variae molis ſunt illae veſiculae; maxima ouum gallinaceum aequat; reliquae in progreſſione quadam minores; minimae piſiformes & lineares ſunt. Maiorum figura oblonga, minorum globoſa eſt. Omnes ac ſingulae tenui liquore aquoſo & pellucente turgent, cui immiſcentur flocculi minimi, albi, opaci, fundum petentes.

Duplici tunica maiores ſunt inſtructae, externa nempe craſſa, opaca, molli, friabili & albicante; atque interna longe teneriori & pellucida, quae cum priori nexu leuiori cohaeret. Externa illa leui attritu in plures alias lamellas albicantes & friabiles poteſt reſolui. In minoribus veſiculis duplex inuolucrum diſtingui nequit, ſed tota quaelibet veſicula vitri inſtar pel-

 lucet.

lucet, Simulatque maioris cuiusdam hydatidis inuolucrum inciditur, multo elatere ſegmenta protinus extrorſum reuoluuntur & interna veſiculae ſuperficies, quam leuiſſime aſpera, comparet.

Omnes fere ac ſingulae, minores praecipue veſiculae pellucidae, in ſuperficie externa maculam quamdam craſſiorem, opacam & irregularem oſtendunt, qua vel inter ſemetipſas, vel cum inuolucro communi, ex totidem pedunculis teneriori-bus pependiſſe videntur.

Remotis ex ſacco communi hydatidibus, reſiduum manet concrementum membranaceum, album, molle, flaccidum, ſemigelatinoſum & friabile, ex quo forſan ſuo quaelibet pedunculo pependere.

Prope illud concrementum hoſpitatur *lumbricus* paruus, tenuis, rubellus, laeuis, rigidus & durus.

Aliquot veſicularum ad ſuperficiem macula vna vel altera flaua, bilioſa, antiqua conſpurcatae ſunt.

Ipſa cyſtis communis irregularis & vtcumque ſphaerica eſt; ſuperficies interna paſſim depreſſa, paſſim colliculis di-ſtincta,

ſtincta, ita tamen vt foueis maioribus maiores reſpondeant veſiculae incumbentes. Aſpera ceteroquin & inaequalis, paſſim e cinereo albicans, paſſim adſperſis maculis flauis polluta ſacci ſuperficies ad partem inferiorem cruſta quadam craſſa, indurata, excrementitia, inorganica, ſubtophacea & ex ſedimento veluti enata tegitur, quae cum ipſo ſacco pertinaciter cohaeret.

Varia orificia obſcure in ipſum ſacci cauum hiant; ſed quorſum illi canales vergant, non inueni.

Qui ſuperficiem hepatis conuexam reſpicit ſacci paries externus in eadem ſede ſaltem 1-2 lin. craſſus, multum induratus, mediae inter cartilaginem & ligamentum naturae, ſubſtantiam craſſae cuiusdam & ſenio induratae aortae aemulatur. Reliqui parietis craſſities varia eſt. Hepatis membrana communis, ſupra aream illam nudam licet continuari videatur, cum ipſo tamen ſacci inuolucro ita cohaeret, vt nulla arte ſeparari poſſit.

Ductus hepaticus amplus haud procul ab inſertione in choledochum reſectus fuerat; quare non conſtat, an in illum ſaccum fuerit apertus, nec ne. Vero tamen ſimile eſt & maculis hydatidum flauis

uis quoque reſpondet, lumbricum in ſacco repertum hac via * ex duodeno in hepar irrrepſiſſe.

6) *Veſicula fellea* pallida bilem parcam, e fuſco rubellam & parum heterogeneam continet.

7) *Lien* parum tumens ingrati coloris, ex liuido & maculis pallidis facile dilacerari poteſt.

8) Durum *pancreas*, ceterum naturale eſt.

9-11) *Ventriculus*, prima ſpecie ſanus, parum materiae tenuis, ptiſanae ſimilis, continet. Villoſam rugoſam, parum extenuatam, flocculentam & fungoſam vidimus. Neque in ventriculo, neque duodeno reliquoque tenuium canali folliculi conſpiciuntur.

12) *Inteſtina* cinerea ſunt, collapſa, paſſim modice repleta: *tenuia* per longum tractum inflammata; *craſſorum* initium aere expanſum, pars vicina arctiſſime conſtricta, reliqua laxa & collapſa eſt.

11. 13. 14.) *Duo* in inteſtino *ieiuno* adſunt voluu-

* conf. SECT. XIII.
it. Gött. Gel. Anzeig. St. 61. 1762. p. 539.

voluuli, haud procul a ſe inuicem remoti. Pars inſerta alba, conſtricta, exſanguis, ſaltem 6 poll. longa; in theca partis vicinae inflammata & laxa latet. Inteſtina tenuia continent materiam tenuem, leuiter mucoſam; primum pallidam, in progreſſu obſcuriorem, ſubfuſcam, ſpiſſam; cum adiectis, diuerſis in ſedibus, *ſex lumbricis* ſolitariis. Villoſa intenſe inflammata, plurima *puncta rubra* adſperſa habet.

5. 16) In colo dexto inter materiam tenuem ſubuiſcidam, mucoſo-bilioſam, ex fuſco flauam, multae nidulantur *trichurides.* Parum illius materiae, ſine trichuridibus, in colo tranſuerſo & reliquis craſſis obſeruatur. Tunica villoſa coeci, coli dextri, nec non vltima pars ilei cum valuula Bauhini, craſſa, inflata, rubra & multum inflammata ſunt. Plurimi etiam ad inſertionem ilei, in coeco & appendice vermiformi, punctis nigris diſtinguuntur folliculi. Appendicis non inflammatae canalis parum muci craſſi continet.

8-22) *Pulmones* vndique *cum pleura* coaluerunt atque ſubſtantia modice ſpongioſa digitis facile dilaceratur.

8) *Cor* paruum multam vim cruoris tenacis coagulati in ſinu dextro fouet.

1)

* *
*

1) Singulare & maxime memorabile morbi mucoſi ſpecimen eſt, ob lumbricum in excauati hepatis cuniculo repertum & eminentia prae reliquis phaenomena neruoſa (12. 11-14.)

2) Saepe ſane in phthiſi neruoſa, dyſenteria, & morbis verminoſis mutuum inteſtinorum tenuium ingreſſum, perperam voluulum dictum, quin plures in eodem cadauere, vidimus, ſine iuncto vnquam per morbi decurſum vomitu ſtercoroſo. Adeoque non ex omni ſpasmo aut volvulo ſtatim oritur inuerſus motus periſtalticus, ileusue morbus. In alio cadauere, poſt hydropem phthiſi abdominali, ſine ſtercoris per os reiectione, menſe Iulio 1761 denati viri; aluo a ſchirrho peluis iam per longum temporis ſpatium adeo obſerata, vt ne cannulam pro applicando clyſtere aut tenuem ſtilum admitteret; potius cuncta inteſtina craſſa ad ſcirrhi ſedem vsque, ab aere excrementisque incarceratis, in ampliſſimum volumen expanſa notauimus, cum reſiduis morbi mucoſi veſtigiis.

3) Animalium paraſiti in morbido alius animalis corpore, vt plantae paraſiticae & inſecto-

ſectorum foetura in morbidis vegetabilibus, inueniunt, quo paſcantur. Vegetum valensque corpus vtriusque generis hoſpites aduentitios aut penitus arcet, aut receptos mox reſpuit. cf. Sect. IX. n. (7).

4) Vti in vegetabilibus laeſa partium a verme nidulante ſtructura vario modo, ſemper tamen iuxta certas vegetationis regulas, ita mutatur, vt fouendo hoſpiti aptum cum nutrimento habitaculum aut nidum praebeat: ita & in animalium viſcera depoſita animalcula eodem hoſpitalitatis beneficio fruuntur. Suſceptam in hepar faſciolam includit formata cyſtis; acarum ſcabioſum (vulgare in montibus Saxoniae malum) cutis puſtula; lumbricum, cupediis allectum, in loculamenti ſpeciem excauatum hepatis parenchyma.

5) Qua via ex inteſtinorum canali in hepatis diuerticulum demerſus ſit iſte lumbricus, annexa hoc ſcopo Sect. XIII. vlterius illuſtratur.

6) Laeſa viſcerum vaſculoſorum ſubſtantia ſubinde vegetationis in modum, per errorem quaſi naturae, abit in congeriem hydatidum vel in racemi ſpeciem excreſcit. Ita ſublato per morbum inter embryonem

bryonem in vtero & placentam circulo, haec, tamquam planta paraſitica legem vegetationis ſimpliciorum ſequitur atque in ſic dictam molam veſicularem, ex innumeris hydatidibus, ſuo quaelibet pedunculo pendentibus, conflatum mutatur. Simili fere modo in morbis interdum generantur ad ouaria & tubas, ad plexum choroideum aliasque partes, hydatides. Eamdem mutationem ſubiit ſaucium hepatis in hoc caſu parenchyma. Num vero, ſublatâ reſiſtentiâ, ſolae viſceris cellulae, num ipſa vaſorum extrema in hydatides formata fuerint, de eo non ſatis conſtat.

7) Diu ſatis remoratum eſſe in ſuo carcere lumbricum, ex ipſo loculamenti habitu patet. Craſſa & inorganica parietes obveſtiens cruſta procul dubio partim à deſtructo parenchymate & exſudantis per vaſorum lumina humoris ſedimento, partim ab excrementis lumbrici ſenſim compactis, enata eſt. Licet, ob pabuli forſan penuriam, paruus manſit captiuus lumbricus, illum tamen ad morbi finem vsque vitam traxiſſe, ex ſua rigiditate vividoque colore colligimus.

8) Aliquot alios in hepate humano inuentorum vermium caſus videre licet in

BONETI ſepulcret. Libr. III. Sect. XXI. obſ. IV. §. 30.

SECTIO IX.

d. 3. Febr. Iuuenis 19 *annos natus ex noſocomio caſtrenſi.*

Abdomen.

1) *Emaciati corporis* abdomen collapſum & virideſcens eſt: *pallent a circumfuſa gelatina muſculi.*

2) Modica *liquoris* copia, librae vnius quaſi, *in abdomine* effuſa eſt. Valde foetent abdominis viſcera.

3) *Omentum*, cum emaciatis coli appendicibus, ſe habet, vt in Sect. VII.

4) *Meſenterii* emaciati *glandulae* inflatae atque iuſto maiores ſunt.

5) *Hepar* mediae molis, ſine acinis conſpicuis, ad omnem ſuperficiem liuidum & *maculis nigris* ita notatum eſt, vt eo profundius in ipſam ſubſtantiam liuor deſcendat, quo pars margini eſt propior. Diſperſorum, in reliquo hepatis parenchymate pallide fuſco, *vaſorum* ſanguiferorum maiorum *parietes comitatur circulus*

e liuido fuſcus: ad ſuperficiem vero lobi ſiniſtri, in tenuem laciniam terminati, ſub ipſa membrana communi nudi conſpiciuntur rami maiores albi, craſſi & tenaces, (cf. Sect. V.) ſine circumfuſo circulo liuido.

6) *Veſicula fellea* ampla & repleta pallide flavet: atque in *bile* tenui, flaua & *heterogenea* ſubſident maſſulae ſolidae, intenſa flauae & curcume radicis ſimiles.

7) *Lien* triangularis modice inflatus, & obſcure coeruleus eſt.

8) *Pancreas* duriuſculum.

9. 10) *Ventriculi* curuaturam paruam & apicem coecum, nigricantia, ita foedat *gangraena*, vt vel in ipſam celluloſam, pancreas ambientem, inflammatio producatur. Paſſim in ventriculo, *ſaburram* tenuem, fuſcam & *putridam* continente, comparent *folliculorum* non eleuatorum, ſi duos tresue in pylori vicinia excipias, *aperturae:* & ad fundi ſuperficiem internam multae efferuntur *rugae*, cum villoſa tenui & leuiter fungoſa. Partis inflammatae ſubſtantia, praecipue in ſuperficie interna, craſſior, reſoluta & vere gangraenoſa eſt.

11) Tota *duodeni* ſuperficies interna plurimis *punctulis nigris* adſperſa eſt, in reli-

quo

quo canali ſenſim rarioribus tandemque nullis. *Pigmento bilioſo* flauet *rugarum* duodenalium dorſum; in mediis vero valvularum interuallis exigui diſſeminantur *folliculi.*

12) *Inteſtina tenuia* collapſa turpique colore pallide cinereo ſqualida ſunt. Arctiſſimâ coli transuerſi, aëre turgidi, in medio *ſtrictura* omnis aeri receſſus praecluditur, ſimilemque ſedem ſtrictam ad coli ſiniſtri curuaturam ſuperiorem notauimus.

13. 14) *In ieiuno* materiam heterogeneam, paullo ſpiſſiorem, ex pallido flaueſcentem, cum inhaerente lumbrico; dein viridem, viſcidam & meconii ſimilem, rurſusque pallide cineream; in *ileo* tenuiorem & flauam, deprehendimus.

15. 16) Craſſiuscula in *coeco* & *colo* dextro eſt materia ſpumoſa, putrida, & viridis cum admixtis paucis *trichuridibus*; in medio colo transuerſo parcior cum *lumbrico*; ſpiſſior & obſcure viridis in ſiniſtro.

Thorax.

18) Scatet vtrimque ſeri rubri & copioſi *putrilagine thoracis cauum.*

19-22) *Pulmonum ſiniſter*, ceteroquin ſanus, tenuibus laciniis cum pleura cohaeret: ar-

ctius & pertinacius cum illa coaluit *dextri apex ſuperior*, durus, *inflatus* & a congeſta in illam ſedem *materia* cinerea ſemicocta & *ſubpurulenta*, ponderoſus. Eiusdem lateri lobus inferior ſatis ſpongioſus & ſanus eſt.

27) Modicam *liquoris* putridi, *obſcure rubri* & *opaci* copiam complectitur *pericardium.*

28) *Cordis flaccidi* ſinus poſterior cruore turget; ventriculus autem vterque tenacem & in ſuam arteriam exporrectum polypum recondit, quorum dexter cruori circumfuſo, ſiniſter vacuo ventriculo inhaeret.

Caput.

35) *Capillitium* obſidet pediculorum agmen; bregma dextrum *tumor* ſubcutaneus *gelatinoſus.*

36) *Ex ſinu* longitudinali longus protahitur *polypus.*

37) Copioſas, inter durae matris praecipue laminas, vidimus *glandulas Pachioni.*

38) Sine vera inflammatione, turgida cruore ſunt *cerebri vaſa:*

39) neque in plexu choroideo notantur inflam-

flammationis ſigna. Fluctuat in *cerebri ventriculis* ſerum pallidum.

* * *

1) Ex corporis marcore, glandularum conglobatarum habitu inflato (n. 4.), effuſa circa muſculos & ſupra caluariam gelatina, puris coquendi in alterutro pulmone veſtigiis, pediculis in capillitio, &c. colligimus, morbum primarium lentum ſub finem demum euectum eſſe ad indolem acutam, cum humorum per diarrhoeam biliosam diſſolutione putrida & inflammatione gangraenoſa.

2) Integumentorum abdominis color viridescens, turpis & ſqualidus in cadauere recenti viſcerum reſolutorum, cum intolerabili foetore, habitus; flaccida cordis ſubſtantia, profugus in inteſtinis craſſis lumbricus, in caua corporis effuſi liquoris turbidi; feculenti & opaci obſcurus color &c. ex gangraenoſa & ſingulari humorum reſolutione repetenda phaenomena, praegreſſam virium ex morbi malignitate proſtrationem & vehementem corporis in citiſſimam putredinem niſum indicant.

3) Nec plane infrequens eſt in morbis putridis globulorum ſanguinis gangraenoſi,

 per

per vaſorum parietes transfuſorum, in ecchymomatis, ramos ambientis & comitantis, ſpeciem collectio: atque hinc deriuandus fuſcus circa vaſorum canalem diſſectum circulus. (n. 5.)

4) Aliam, ab extrauaſato per vaſculorum minimorum extrema ſanguine gangraenoſo ortam, ecchymomatum ſpeciem exhibent adſperſa villoſae puncta nigra. Recens iſtiusmodi ecchymoſis in aere libero colorem floridum naneiſcitur (cf. Sect. X, 9): paullo vetuſtior nigra manet, donec reſolutus ſanguis in fuſcum partis colorem aequabiliorem diffluat.

5) Sic quoque extrauaſati in corporis caua liquoris craſſi (n. 2.) color rubicundus & ſanguinolentus certiſſime ab exſudantibus ſimul cum parte ſeroſa cruoris globulis originem trahit.

6) Ad peſſimas criſes, ob fluidi nobilitatem, referenda eſt in morbis malignis gelatinae fluidique lymphatici in caua corporis & telam celluloſam, partium inprimis ſuperiorum, depoſitio. (cf. SECT. I. n. X. p. 35. ſq.) Mobilis illa gelatina, pro cadaueris ſitu mutato, in celluloſa ex proprio pondere ſenſim in partem ſitu inferiorem deſcendere ſolet.

7) Ad

7) Ad critica phaenomena referimus pediculos; ſanum videlicet corpus fugientes & nonniſi in morboſo degentes. Hinc in morbis, praecipue infantum; facta nempe ad corporis peripheriam criſi, pediculorum foeturae fauente; bono interdum omine gignuntur & criſin inceptam irritando rodendoque promouent. Ita quoque morbus venereus, fracta per criſin cutaneam contagii ſuſcepti virulentia, pediculos inguinales alit.

8) Glandulae Bacchioni eminentiae fungoſae vel verrucoſae potius, critico modo forſan enatae, quam verae glandulae eſſe videntur. Saepius enim, praeſertim in corpore ſano, penitus deſiderantur; in cadauere autem morbido, ſine ordine, numero & ſede, determinatis, modo ad durae matris ſuperficiem externam, modo inter illius laminas interdum ſeiunctas, vel per deſtructae externae foramina eminentes, modo in ipſo ſinu ſagittali glandulas illas vidimus.

SECTIO X.

d. 28. *Ian.* Miles in noſocomio caſtrenſi paucos ante mortem dies a morbo mu-

coſo conualuerat & extra lectum verſatus erat: eodem vero morbo recidiuante poſtridie iugulabatur.

Abdomen.

1) *Corpus non emaciatum* eſt; *abdomen tumidum.*

2) *Sero* effuſo abundat *imi ventris cauum.*

3) *Omentum* contractum turpique, ex flauo virideſcente, colore imbutum eſt.

4) *Meſenterium* laxum, elongatum & bile conſpurcatum *glandulas* duras, ſolito maiores, rubellas & obſtructas comprehendit.

5) Ex rubro leuiter coeruleum *hepar*, ſine acinis, molle & modice reſolutum, ad ſuperficiem concauam liuet.

6) Modicam *bilis* flauae copiam complectitur *cyſtis fellea*, cum partibus vicinis conglutinata.

7) *Lien maximus* e coeruleo fuſcus & reſolutus eſt.

8) *Pancreas* durum & acinoſum.

9) *Ventriculi* ſuperficies interna multum rugoſa, in dorſo rugarum inflammata & florida, villis veluti coccineis conſperſa eſt, ita vt tot fere *ſtriae floridae*, quot rugae eleuatae, conſpicerentur.

10)

10) Paſſim in pylori vicinia, duodeno praecipue, *folliculorum oriſicia* plurimaeque, a tunica villoſa formatae, *eminentiae fungoſae* obſeruantur. *Materiae mucoſae*, bilioſae & tenacis copia tegitur interna ventriculi ſuperficies; qua remota, magna *vis muci* viſcidi, ſpiſſioris, lenti & aegre ex rugarum interuallis abſtergendi, in conſpectum venit.

11-14) Aere multum expanſa & aequabiliter fere inflammata ſunt *inteſtina*. In *tenuium* canali hoſpitantur aliquot *lumbrici*, omnisque villoſa, valuulae potiſſimum, ab abundantis materiae flauae & bilioſae pigmento, nulla arte abſtergendo, obductae ſunt.

15. 16) *Craſſorum* tractum, ſine tunicae notabili inflammatione, a materia pultacea excrementitia modice repletum notauimus.

* * *

1) De morbi relabentis cauſſa vid. SECT. II. n. V. p. 61. ſq.

2) Raro in morbo mucoſo defunctis tumet abdomen: atque tumor quidem in hoc caſu maximam partem ab expanſis aere inteſtinis (11-14), minus vero putrida reſolutorum viſcerum inflatione proficiſcitur, cf. p. 72.

3) De ſtriis floridis villoſae conf. ad praec. Sect. n. (4).

4) Patet ex muci interioris & pertinaciter adhaerentis lentore (n. 10.), mucum, poſt longam in ſalliculis ſtagnationem, craſſum & viſcidum excerni & non niſi affluentibus humoribus ſucceſſiue attenuatum abſtergi.

SECTIO XI.

Febris mucoſa, maligna, inflammatoria, petechizans.

Vir 34. *annos natus*, diu iam, vt narrauit defuncti vxor, aſthmate laborauerat & ante aliquot annos haemoptyſi leuiore. Si quando ſarcinam portauerat, animo linquebatur, donec oborto vomitu reſipiebat. Poſt vſum purgantis draſtici biennium fere cum diarrhoea conflixerat, ita, vt ſubinde ex improviſo foriolus citra voluntatem aluum exonerauerit. Varia aliquoties genitalium ſymptomata, tumorem praecipue teſticulorum atque vrinae incontinentiam, paſſus; ſaepius furtibus ſemel, aliquot hebdomades ante morbum, cum claua in latere percuſſus fuerat. Multum quoque

que ante morbum, accenſum, noctu inprimis, ſine expectoratione tuſſiuerat, atque terrore perculſus, valetudinis labem ſentiens, ſanguinem e vena ſibi extrahere curauerat. Elapſo abhinc octiduo,

d. 25. *Febr.* *Frigore* cum inſequente aeſtu correptus, ab illo tempore, inter vigilias perpetuas, perpetim querulus fuit. Vrſit, cum dolore genitalium acerbo, conquaſſatorum artuum ſenſus. Sitis, ſub decurſum morbi iunioris minus notabilis, ſub finem diu noctuque intenſiſſima, reſtingui non potuit.

Inter anxietates ſummas, iuncta vrinae incontinentia, furibundus ſaepe exiliit & cum immani clamore ſeſe eripere annixus eſt. Devorata eodem veſpere lactis copia auide ſeſe exſatiauit.

Effloruerunt petechiae, atque deliria demum excepit ſopor, ſub cuius ſtadio vox querula ſiluit. Aluus pertinaciſſime praecluſa manſit, nec vlla vermium veſtigia ſunt notata: vltimis tandem diebus aliquid cruoris coagulati per anum abſceſſit, & a ſuppoſitorio globulus excrementorum apprime induratus.

Suae

Suae ſorti relictus aeger V. ſnem per omnem morbi decurſum neglexit, tandemque peripneumonicorum morte e vita exceſſit.

Abdomen.

d. 9. *Ian.*

1) *Habitus* corporis externus parum tantummodo emaciatus eſt. *Muſculi floridi* & ſani ſunt.

* *Muſculae petechiales* rotundae & roſeae, inſtar macularum a morſu pulicum, ſine ſtigmate tamen medio, plurimae in brachiis, rariores in collo, thorace & cruribus conſpiciuntur.

2) Modica *liquoris extrauaſati* copia in cavo *abdominis:* in pelui autem, parum ſanguinolenti ſaltem 8 - 10 vnciae fluctuant.

3) *Omentum*, praeter modicam inflammationem, naturale eſt.

* *Vaſa* omenti, ventriculi, meſenterii & in vniuerſum *viſcerum abdominalium* cruore multum turgent, ita vt retia vaſculorum minorum generum elegantiſſime, anatomica veluti arte repleta, compareant.

4)

4) *Meſenterium* pari modo inflammatum notauimus, iis praecipue in ſedibus, quae inflammatis inteſtinis reſpondent. Maiori in gradu inflammatum, quin vere *gangraenoſum* eſt *meſocolon*, qua parte colon dextrum reſpicit.

Glandulae meſaraicae mediae conſiſtentiae, ſucculentae; pallidae rubrae aliae, aliis puniceo colore diſtinctis; variae molis ſunt, ita vt maximae nucem avellanam altero tanto ſuperent.

5) *Hepar* molem naturalem non excedit, quin fere infra illam ſubſiſtit. Acinis conſpicuis deſtitutum ad ſuperficiem conuexam modice pallet; ad partem vero concauam & margines liuet.

6) *Bilem* parciſſimam continet *cyſtis* fellea tota collapſa & ſaturate flaua. Duodenum vicinum maculis flauis conſpurcatum.

7) E liuido fuſcus, quin nigricans *lien* in margine multum inciſus, 8 poll. longus, $3\frac{1}{2}$ latus congeſto cruore turget. Ceteroquin eiusdem indolis eſt, ac in Sect. III. IV. V.

9) *Ventriculus* ad curuaturam minorem inflammatus & in vniuerſum notabili *rubore*

ſuffu-

ſuffuſus eſt, ab aeris liberi acceſſu magis *efflореſcente.*

12) Vtriusque generis *inteſtina* aere multum expanduntur. *Tenuium* tractus vacuus & paſſim inflammatus, aliquot ſtricturis annularibus intercipitur. *Craſſorum* cellulae recondunt *globulos excrementorum induratos*, ſcybalis pulpoſis intermixtos. Haud procul ab ilei inſertione inter ipſos globulos latet *lumbricus attritus* & conquaſſatus. *Colon* dextrum gangraena quin vero *ſphacelo* deprauatum eſt; minori etiam in gradu colon ſiniſtrum.

17) Multo cruore turgent *vaſa abdominalia*, iliaca praecipue, & in vniuerſum vaſa peluis cum cruralibus.

* Enormiter *inflammata* ſunt *regio hypogaſtrica & inguinales*, ita vt non ſolum muſculi vi cruoris turgeant, ſed inter integumenta & muſculos, atque inter hos & peritonaeum, magna etiam *ecchymomata* reperiantur.

** Omne *peritonaeum*, paries inprimis anterior & qua parte peluim eiusque viſcera obueſtit, graues etiam *inflammationis* notas, cum vaſorum retibus multum repletis oſtendit.

***

*** Circa *funiculum ſpermoticum* ſiniſtrum & in tota regione inguinali notabilis a ſanguine effuſo *ecchymoſis* obſeruatur.

**** *Renum* ſubſtantiam iuſto ſtipatiorem obſcurioris coloris, congeſto ſanguine perfuſam & in mediis *capſulis ſuprarenalibus* inflammatis ecchymomatum veſtigia deprehendimus.

Thorax.

18) *Cauum thoracis* vtrimque modica *liquoris* ſanguinolenti copia ſcalet.

19) Mediis membranis atque laciniis tenuibus ad partem *pleurae* anteriorem laxius; ad poſteriorem vero mediante celluloſa ſtipata arctius *cohaerent pulmones.*

20 - 22) *Vterque pulmo*, ſiniſter inprimis, impacto ſanguine turget, margine inferiore tamen vtrimque laxo adhuc & ſpongioſo. Color, a putredine demum mutatus, varius & ſolito obſcurior eſt; ſiniſtri pulmonis e fuſco nigricans. Inciſa eiusdem ſubſtantia fuſca, turgida, multum ſpumoſa, non ſpongioſa eſt: paſſim quoque exprimuntur *puris cocti veſtigia.*

23)

23) Reſecta *colli vaſa maiora* vim cruoris eructant.

27) Aliquid *ſeri in pericardio* fluctuat.

28) *Cordis* ventriculus anterior *polypum* album & mollem; poſterior atque aorta multum cruoris nigricantis comprehendunt.

* * *

1) Singularia hic morbus, ex inflammatoria, neruoſa & mucoſa indole compoſitus, vitii ex fluido mucoſo in gelatinoſum tranſlati *) index, & ſubſequentis epidemiae inflammatoriae **) e longinquo veluti praecurſor, ſede primaria morbum mucoſum; indole vero, inflammatorium thoracicum aemulatus eſt. Decurrit quidem morbi abdominalis tramite, ſed ſub finem ſimul in conſenſum traxit pulmones aegrumque peripneumonicorum morte ſuſtulit ***). Hinc, cum inflammatione inteſtinorum in ſphacelum euecta, parca tantum in imo ventre vitii mucoſi veſtigia, notabilis vero pulmonum farctura ſubpurulenta in cadavere ſunt deprehenſa. Cognationem cum morbis

*) cf. Sect. I. N. IX. p. 34. & N. X. p. 35. ſq.

**) — ib. N. IV. p. 19. & p. 37. n. 2.)

***) cf. ib. N. X. p. 37. n. 1.)

morbis thoracicis etiam patefecit critica in aliis, ſimili morbo detentis, ſputi cocti excretio *).

2) Mutuum labefactorum genitalium cum ſyſtemate neruoſo commercium ad varii generis affectiones morboſas diſponit plurimisque ſymptomatibus morbos turbat.

3) Antiqua viſcerum imi ventris vitia atque neruoſi generis imbecillitatem manifeſtant praegreſſa diarrhoea perpetua, tuſſis ſicca & animi deliquia: pulmonum labem aſthma inueteratum & haemoptyſis.

4) Praeceps exanthema petechiale viſcerum inflammationem non ſoluit, ſed potius gangraenam internam pediſſequam habet.

5) Collecta circa globulus induratos excrementa mollia, lumbricus in colo contritus, (n. 12.), cruoris per aluum abſceſſus, magna paſſim ecchymomata (n. 17.) &c. gangraenoſae humorum ſub finem morbi reſolutionis ſunt effectus.

Mixta, ex antiphlogiſtica, reſoluente & demulcente, methodo procul dubio aeque facile ſeruari potuiſſet hic miſer, ac plures alii, ſimili fere modo laborantes.

X SECT.

*) — SECT. II. p. 73.

SECTIO XII.

d. 9. *Febr. Miles in noſocomio* inter frequentem tuſſim grauius ex thorace laborauit.

Abdomen.

1) Succulenti & *bene nutriti corporis* abdomen tumens & inflatum craſſo pinguedinis ſtrato tegitur.

2) Modica *ſeri* copia *in imi ventris cauo* fluctuat.

3) *Omentum* ſanum elegans rete pingue refert.

5) *Hepar* ſine acinis durum, ex liuido ingrate fuſcum & a congeſto ſanguine gangraenoſo inflatum eſt. Facile manibus diffringi poteſt rigidum, durum & e liuido nigricans parenchyma. In laciniam extenuatur lobus ſiniſter, ad dextri autem lobi marginem inferiorem acutum diſtinguitur *locus exſanguis, albus, durus, tenax*, cicatrici ſimilis.

6) Ingrate pallideque flaueſcens *cyſtis fellea bilem* parcam, admodum tenacem, ſpiſſam, viſcidam & ingrate fuſcam continet.

7) *Lien* liuidus, varii & ingrati coloris, modice reſolutus ſolitoque maior eſt.

8) Praeter duritiem, haud mediocrem, *pancreas* ſine labe obſeruatum.

9) Vitium notabile *ventriculus* non alet.

10 - 12) Paſſim aere valide expanſa, paſſim collapſa ſunt *inteſtina tenuia*. In partibus collapſis craſſam notauimus inteſtinorum ſubſtantiam; magis extenuatam in reliquis. Liuidus inteſtinorum color ſe habet, vt in prioribus cadaueribus; ex cinereo nempe tunicarum & rubore vaſculorum minorum generum atque inflammatae villoſae commixtus. *Craſſa* collapſa ſunt & vacua.

11. 13. 14) In *tenuium* canali latet *materies* tenuis, *mucoſa*, bilioſa, paſſim fuſca, cum admixto *lumbrico* in ieiuno. Craſſa & inflata villoſa *punctis rubris* conſperſa eſt, cum valuularum craſſitie & cruore turgidis vaſculis minimis.

15. 16) Eadem prorſus notauimus in *colo dextro*, quae in praecedente Sectione IX. *Colon ſiniſtrum* ad ſuperficiem internam notabiliter inflammatum eſt, ceterum vt in praecedente cadauere.

 Thorax.

Thorax,

19 - 22) *Pulmonum* deprauatorum *ſiniſter* intimo, facile tamen ſoluendo vinculo, potiſſimum ad ſuperficiem poſteriorem apicemque ſuperiorem, *cum pleura* coaluit; durus ceteroquin, turgidus, in aquam demerſus fundum petens. Inciſum parenchyma vbiuis materia cinerea perfuſum eſt, ex qua compreſſa *pus ſemicoctum* exſudat. *Dextri pulmonis* eadem ratio, minori tamen in gradu.

27) *Pericardium* aliquid *roris collecti* fouet.

28) *Cor* magnum & pallidum, multa pinguedine tegitur atque in ſinu anteriore cruorem tenacem, in vtroque ventriculo cruorem cum cruſta inflammata polypoſa gerit.

* * *

1) Analoga phaenomenorum ratio eſt cum praecedente ſectione: & quidem ex omnibus collatis iudicamus, morbum pertinere ad ſpeciem inflammatoriam cum quadam putredine & parco mucoſi connubio; ita tamen, vt tranſitum faciat ex morbo abdominali in thoracicum. cf. epicr. ad Sect. praec. n. 1).

2) Pin.

2) Pinguedinis vbertas (n. 1. 3. 28.) pependiſſe videtur ab hepatis peculiari vitio, quod ſimul procliuitatem ad ſuſcipiendas febres mali moris induxit. cf. epicr. ad Sect. V.

3) Antiquam labem redolent ſcirrhoſa vniuerſi hepatis durities lienisque habitus deprauatus. Quodſi autem induratum olim parenchyma, congeſto ſanguine gangraenoſo, denuo reſoluitur; ita obrigeſcit, vt cum quadam facilitate manibus in fruſta poſſit diffringi. Apprime rarus eſt hepatis ſcirrhus verus, ſiue parenchymatis ſimpliciter condenſati pars exſanguis, absque congeſta in illam ſedem materia peregrina; quales ſcirrhos & in aliis viſceribus, pulmonibus praecipue, aliquoties notauimus. Eadem autem ratione, qua viſcus obcalleſcit, cum ipſo organi volumine aliquid etiam functionis perit.

4) Vti generatim integrum, cum ſuo viſcere ſuccenturiato, liene hepar bilis laudabilis ipſiusque ſanitatis fons eſt; ita ſane ex illis organis laeſis, cum bile mali moris plurimi etiam morbi ſcaturiunt. Hinc in cadauere morbo defuncti hominis non temere ſanum hepar obſeruabimus. In morbis praecipue thoracicis, qui, captis ex

abdomine primordiis, ſenſim euadunt idiopathici, ſemper notabile hepatis lienisue vitium, ſubinde etiam pancreatis ſimul, notamus.

5) Bilis in morbo mucoſo lentor, pro varia morbi ſpecie, modo proprii vitii, putredinis nempe, effectus eſt; modo ex cryptis cyſtidis vberius excreti muci.

6) Viſcerum reſolutio (5. 7. 15. 16.), abdominisque tumor &c. ex inflammatione in gangraenam euecta & inteſtinis, a ſoluto, putredinis, aere expanſis, redundant.

7) Praeter notata in morbi decurſu ſymptomata, pulmonum habitus, peripneumonicorum ſimilis, (19-22.) ſimili gelatinae in pus excoquendae congeſtione critica, morbi cum thoracicis, ex labe abdominali malignis, analogiam vlterius manifeſtat.

SECTIO XIII.

Mulier 33. annorum, hieme 1759-1760. in theatro anatomico diſſecta.

Abdomen.

1) *Habitus* corporis *macie* confectus eſt.

5) *He-*

5) *Hepatis* moles naturalis.

6) *Veſicula fellea* ampla multam vim *bilis* flauae turbidae, & heterogeneae continet, cum admixto *ſedimento*, pulueris radicis curcume ſimili & *calculo* rotundo, globuloſo, irregulari, fuſco, aſpero, friabili, in collo veſiculae mobili.

* *Ductum choledochum* denudatum tactu durum, teretem & expanſum notauimus. Inciſus *lumbricum* recondit, qui illius canalem exacte replet & pollicis longitudine altero ſui extremo in veſiculam felleam exporrigitur.

7) *Lien* paruus & durus eſt.

9) Alius *lumbricus*, *in duodeno* haerens, in ipſum ventriculum ex parte producitur.

Thorax.

18) In *cauo thoracis ſiniſtro* verum *pectoris hydropem* notauimus: continet enim ſeri pellucidi & ſubflaui quaſi 4-5 libras. Caui parietes obueſtiuntur cruſta quadam excrementitia, flaueſcente, irregulari & inaequali; ad apicem ſuperiorem craſſa, in diaphragmatis ſuperficie papillis, milii

 ſemi-

ſeminis ſimilibus, diſtincta. Pulmonis ſiniſtri lobi, deleta media inciſura, inuicem coaluerunt. *Pars lateralis* lobi inferioris *fune ligamentoſo* & valido, 1 pollicem craſſo, *ad pleuram ſuſpenditur:* ſimili ratione margo inferior acutus cum diaphragmate; & pars pulmonis interna, mediante craſſa, irregulari & membranacea ſubſtantia, cum pericardio connectitur.

19-22) *Dextrum thoracis cauum* ſero collecto vacat: *pulmo* vero arctiſſime & adeo valido nexu *cum pleura conferruminatus* eſt, vt ſine laceratione ſubſtantiae nullo modo ſeiungi poſſit.

Vtriusque *pulmonis ſuperficies maculis nigris* conſperſa eſt, ſimilibus per ipſam etiam ſubſtantiam internam, laxam & collapſam, diſſeminatis.

27) In *pericardio* cochlear quaſi *liquoris* collecti latet.

2) Vtrumque *cordis* ventriculum occupat *polypus*.

* Nihil inſoliti in inteſtinis & reliquis viſceribus animaduerti potuit.

1) Li-

* * *

1) Licet morbus a mucoſo epidemico diuerſus ſit, eo tamen fine hanc ſectionis hiſtoriam ſubnectimus, vt ſaltem ex hoc ſpecimine appareat, tantum abeſſe, vt vermes bilem, dummodo corrupta ſit, ob amaritiem fugiant; vt potius, veluti praecipui pabuli illecebras, quam ſollertiſſime illam quaerant. Hinc quoque, donec bilis emendata fuerit, rhei & amarorum pro expellendis vermibus efficaciam fruſtra ſaepe exſpectamus. cf. p. 49. & p. 80. Generandorum vermium inteſtinalium, quocumque modo ſuſcepta, ſeminia ſine corrupta bile & aere neque excluduntur; neque excluſi vmquam fouentur, niſi aptum in ſede morboſa nidum reperiant. cf. p. 63. Redacta ad fluidi ſaponacei & balſamici laudabilem indolem bile, atque reddita primarum viarum integritate; ſua ſponte vel ſine anthelminthicis vermes e corpore aufugiunt.

) Collatae, haec & decima, ſectiones quam euidentiſſime viam monſtrant, qua ex inteſtinorum canali, tamquam primaria ſede, vermes in hepar prorepant: procul dubio enim profugus in Sect. decima lum-

bricus ex duodeno per ductus choledochi & hepatici canalem transmigrauit, ſibiq; e aptum vtcumque nidum parauit in deſtructi parenchymatis cauo. Simili ratione & murium ouiumque faſciolas in hepar transferri cum aliis ſentimus *).

3) Bilis deprauatae ſedimentum (in ſolibus interdum ſpiculorum ſalinorum more micans), vt ipſi ex illo enati calculi, praegreſſam quamdam coctionem, aliis tamen coctionibus, vrinae, puris &c. benignitate longe inferiorem, critico modo ſequuntur: quae quidem coctio, ſaltem vtcumque, analoga videtur apparatui, quo ex fluido quodam in motum inteſtinum poſito ſenſimque turbato, iuxta ſuas cuique leges colligitur ſedimentum. Eadem ratione & aliae calculorum in corpore animali ſpecies ſecretioni pathologicae ſuam quaeque originem debentur. Vtplurimum ſimplici quadam appoſitione; interdum incruſtationis in modum, ſtrato ſuper ſtratum poſito; raro cryſtalliſationis ſpecie, vt in calculo veſicae vrinariae diffracto ex ſtriis radiatim a centro verſus peripheriam diſpoſitis obſeruauimus, collectae ſedimenti

* cf. Gött. Gel. Anz. 1762. St. 61. p. 539.

ti particulae in ſolidum corpus compinguntur. Raro caſu formati calculi naturae beneficio, qua data porta; fellei, bilis flumine ſimul abrepti, per diarrhoeam, bronchiales per tuſſim &c. e corpore eliminantur.

4) Verus pectoris hydrops rarus; pericardii, rariſſimus & vterque ſemper fere ſecundarius criticusue morbus eſt.

5) Conferruminantur pulmones cum pleura a rore gelatinoſo, critico modo exſudante atque alterno thoracis motu in corpus ſolidum compacto. Si contiguae pulmonum & pleurae in ſtatu ſano ſuperficies effuſo liquore medio a ſe inuicem remouentur, fluidi ſedimentum vel coagulum ſubinde formatur in vincula inorganica. cf. epicr. ad Sect. II. n. 1).

6) Pulmonum maculae nigrae ſiue petechiae, tum ad ſuperficiem & in ipſo parenchymate ſine ordine diſſeminatae, tum lineares in margine loborum, ecchymomatum veluti ſpecies, gangraenoſae ſanguinis reſolutioni ortum debentur.

EXPLI-

EXPLICATIO FIGVRARVM

TAB. I.

Fig. I. II. III. Folliculi mucoſi in ſuperfi interna ventriculi & duodeni diſſeminat

TAB. II.

Fig. I. Folliculi qui foveas medias occupa

TAB. III.

Fig. I. Subſtantia acinoſa hepatis.
— II. Eſcharae ad ſuperficiem intern coli ſiniſtri.
— III. Folliculi in ieiunio.
— IV. a) vermis ſpecies recta aſcaridib non diſſimilis.
b) vermis ſpecies curua in line ſpiralem contorta.

Tab. I.



f. 1. f. 2. f. 3.

Tab. II.



Tab. III







